6
22-a
46

6
22 C
19


Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21
a
7

21-a-4

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRO PRINCIPI ESTENSI S. R. E. CARDINALI

SILVESTER GRIMALDVS FELICITATEM.

QVAE tuo iuſſu lucem aſpiciunt, eam ſi ex tuo nomine lucem ambiunt, nihil profectò mirabere, ALEXANDER Cardinalis. Carmina ſunt hæc, & poëtici conatus Auguſtini Maſcardi, non illius, quem matureſcentem iam, tu primò, deinde Roma & vidit, & probauit; ſed adoleſcentis adhuc, & ad Per-

Digitized by Google

meſsi ripas olim, non ſine ſecundis futuræ gloriæ auſpicijs, luſitantis. Et ea quidem ipſe, quâ eſt iudicij acrimoniâ in ſe ipſum vnicè ſæuientis, ſuppreſſa voluiſſet, quæ non niſi ætatis excuſatione probari poſſe cenſet: ſed tuo primùm iuſſu, amicorum deinde improbitate victus, tolli patitur, & ali; dum tamen omnes intelligant, alieni potiùs id eſſe imperij, quàm voluntatis ſuæ. Maſcardum ego tum alias ob cauſas, eáſq; non vulgares, amo, atque obſeruo; tum maximè, quòd à te & amari eximiè, & fieri plurimi non ignoro. Feci igitur quod meus in illum amor, in te pietas ſuaſere, vt hunc eius fetum (qualis qualis tandem parenti videatur) tollerem, tibíque omnium quidem huius æui ingeniorum, vt ita dixe-

rim,

rim, Lucinæ, ſed priuatim eius tutelari Numini, ad ſempiternitatem alendum fouendúmque traderem. Neque enim ſum neſcius, Principum virorum quoddam quaſi Numen id efficere, vt annos & ætatem cæleſti quodam afflatu ijs etiam tribuant, quæ caduca & immatura videbantur. Verùm hæc tu meliùs, iíque iudicabunt, qui his in Carminibus, Maſcardi potiùs canentis ingenium, quàm ſemet, ac ſua adeò ſeuerè damnantis iudicium probaturi ſunt. Tu interim in alieno opere meam in te obſeruantiam ama, & felix viue.

FELICITATIS
ALVMNIS,
PHILOSOPHIÆ
CITHAROEDIS,
SVO MERITO BEATIS
ALIENO MENDICIS,
SALILLVM ET LARIDVM
AD ARIDVM PANEM
SILVESTER GRIMALDVS GENVENSIS
IPSAM POETARVM FELICITATEM.

Vos ô facetiarum ſalinæ, ſympoſiorum ſales, Deipnoſophiſtæ Regum, Agamemnonum Neſtorei Paraſiti, Phœmij, Phœnices, Iopæ, quantum eſt vbique Mercurialium leporum ingenioſiſſimi, nobiliſſimique noſtræ memoriæ ſaluete Vates. Saluete plurimùm, quibus olim benigno Gratiarum ſidere naſcentibus omnis ſeſe læ-
titia-

Digitized by Google

titiarum & lautitiarum ſuperfudit amœnitas: omnis ad ſolatia mœrorum, ad oblectamenta Pacis, ad elegantiæ guſtum, à corpore perforatus ad animum ſenſus eſt. Vos integerrimi iudicij Poëtæ, Vos mihi præter ceteros mortales in rem meam, imò veſtram, imò communem, ex infinitâ reliquorum hominum Litteratorum, Leguleiorum, Philoſophorum, Rhetorum, Sophiſtarum, Hiſtoricorum, Tabellionum, Rabularum Academicorum, quamlibet lectiſſimâ multitudine, ſeuocaui: Vos; quos & eximios habui ſemper, & porrò præcipuos in poſterum habebo. Scio, vobis cedro digna loquentibus, inſulſiſſimos quoſdam veſtræ familiæ paraſitaſtros, ingratis Gratijs, & quartâ lunâ malè conciliatos Bauios, Mæuios, Marſos, Codros, Cherilos, Attalos, Suffenos, amicos eſſe non poſſe. Scio, mediocribus eſſe poëtis non Deos, non homines, non concedere columnas. Idcircò diligentiſſimè vos oratos peruelim, vt incolumi veſtrâ gratiâ, me vobis bonæ ſpeculæ tantillum in poſteri memoriam temporis imponere ſinatis. Si veſtrum ingenium excultiſſimum colui ſemper: ſi genium

nium in amoribus habeo, quem profusè vobis dio nectare plurimo permulſit quædam velut affinis humanitas diuinitati: ſi veſtros ludos ſuauiſſimoſque mores præcipuè dilexi ſemper, eximieque ſuſpexi. per ego vos ingenium geniumque veſtrum obſecro, reſpicite boni, non malum hunc miſellum amici mei puſiunculum, ipſius parentis vel incuriâ vel iniuriâ denatum, antequam natum: reſpicite paruulum innoxium, deteriore ſorte, quàm Oedipum, aut Paridem, aut gemellos Amulij nepotes, abiectum: &, niſi per veſtram humanitatem, vt lupa Romulis, ſic illi veſtra beneuolentia ſuccurrat, à quo minimè decuit, periturum. Sinite vagientem infantulum furtim, & à me clàm ipſo parente ſublatum, parricidioq; ſubductum, ad breuiſsimam veſtræ cognitionis moram ſic ſaltem viuere, nihil aliud, vt moreretur, meritum, niſi quia citò natus eſt. Sinite, cum immaturæ pueritiæ veniâ, ſeruulum ſic malè multatum, & pannoſum, & conſcribillatum, tamquam è cataſtâ ſtigmaticum, inter veſtros, non dico liberos, ſed vernulas & mediaſtinos, in aliquantulâ veſtræ gratiæ luce

ce verſari. Maius hoc illi beneficio nihil poſcimus, quia videlicet nihil vos erogare maius è veſtrâ beneficentiâ poteſtis. Ne quæritote meritum in eo lucis&immortalitatis,in quo pater offenſus miſerum morti ſuo præiudicio prædamnat; in tenebris ipſum vltrò latitantem, & conniuentibus oculis ingentem vim veſtri nominis minimè ferentem. Ceterùm, niſi me fallit amicitiæ ſenſus, ſpirat in iſto puerulo ſuus quidam ingenij lepor,& indoles magnæ mentis, omnino non indigna, cui breuiſſimum vnius certè diecula beneficium ex immenſâ veſtri ſplendoris immortalitate condonare poſsitis. Dicam planiùs:

Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum,
Aliunde natum, beneuolentiâ noſtrum:

quod olim Auguſtini Maſcardi, peradoleſcentis adhuc, familiariſsimi mei, vix tum è Grammaticis egreſsi, nulloque dum hauſto gloriolæ ſenſu, præcox & intempeſtiuum præferuida vis ingenij profudit; mox adulti iudicij verecundia ſuppreſsit, rata neutiquam ſe quidquam peperiſſe diuturnum, quod diu parturire non potuit. Hoc benè,

** quòd

quòd ſuppreſsit, non oppreſsit: & in eo nunc eſt, vt præiudicium paternum capitalis vltimi iudicij ſententia conſequatur. Illi ſcilicet creuit ætas, & cum ætate creuit ingenium: mallem pariter erga ſuos creuiſſet humanitas; vt creuit aduerſus omnes, & Principum gratiâ florens, & amicorum ſtudijs pollens, & omnium cuiuſque generis litterarum exercitationibus apprimè limata. Et tamen aut ego fallor, aut nondum ingenij calor ille deferbuit; vt quod in adoleſcente tum placuit, id nunc diſpliceat in viro; & quaſi Tiburtinum vinum extra vindemiam ætatem ferre diutiùs non poſsit. Quidquid hoc eſt in amicum vel officij vel ſtudij mei, vos, quæ veſtra facilitas eſt, niſi iudicium meum veſtro iudicio comprobabitis, cum exceptione certè laudabitis vel modeſtiam patris, vel ſolitudinem filij, vel beneuolentiam amici, vel veſtræ fiduciam humanitatis. Enimuerò, qui nihil amico debere poſſum, qui nullâ vmquam in re contra voluntatem Auguſtini mei venire conſueuerim, hac vnâ in cauſſâ cogor aliquid aduerſus illum, pro nominis ipſius memoriâ, veſtrâ fre-

tus

Digitized by Google

tus auctoritate, moliri: quod nunc facio, cùm illius immaturam Poëſim veſtro iudicio cõmendo, nullam adhuc limam ſeuerioris ætatis expertam; &, vt planè multis in locis videre licet, multifariàm alibi lacunoſam & dehiſcentem; alibi mutilatam atque diſciſſam; demum, à quo minimè debuit, depoſitam atque deſertam. Quæ verò ſic lacerato diloricatoque leuidenſæ veſtis amiculo foras è clandeſtinis latibulis erumpit, ſatis apparet, eam vel ereptam ab inuito, vel ab inſcio ſubreptam: vel, quod miſerrimum eſt exitij genus, à parente peremptore fugientem, ad veſtram clementiam confugiſſe. Proſit illi, veſtri cupidiſsimos paternos amicos eſſe miſericordes: proſit, parentem non eſſe Suffenum: proſit, quòd ille vobis ingenio ſimillimus, animo coniunctiſsimus futurus fuerit; ſiquidem naturæ munus, ingenium viuidum & ferax excolere vobiſcum, & exemplis augere meliorum, & diutiùs in vmbraculis veſtris vacare lætioribus Muſis, & ab aulæ grauioribus negotijs ac ſtudijs ſuperſedere potuiſſet. Probabilem habetis fiduciæ ac confidentiæ meæ cauſſam, quâ pa-

 ternam

ternam vel verecundiam vel iniuriam excuſare poſsitis. Vos, pro veſtrâ facilitate, reſpicite quæſo miſeri ſolitudinem: arcete ſæuitiam patris: integram amico conſeruate gratiam amici: veſtræ conſuetudinis retinete conſtantiam in innocentiâ ſubleuandâ. Retinebitis autem, ſi veritati, quam in minoribus ſæpè rebus poëticè compoſiteque diffingitis ad voluptatem, aliquid nunc clementiæ cauſſâ detrahere poteſtis: vt placuiſſe vobis hunc infelicem dicatis, quò patris inclementia mitigetur. Quem Poëtæ mendaciolo ſeruare poſſunt, alij ſuo periculo non debent. In quo conſeruato ſi perget obſtinatiùs iraſci pater; nos videlicet filio vitam reddidimus, gratiam patris amiſimus. Eam tamen facilè recuperabimus, ſi veſtræ ſententiæ ſalutari litterulâ viuet, verecundię nomine commendatus in veſtri nominis immortalitate, non cum liberis veſtris heroibus & heroinis, ſed inter Floræ quiſquilias cum Exquilinis, & Cælimontanis, & Tranſtiberinis ſaxellionibus; aut, quod ſupra noſtrum & votum & meritum eſt, cum veſtris vernulis & mediaſtinis. Sinite quæſo vos exorari: ſic

æternæ

æternæ veſtræ litteræ nihil omnium cuiquam debeant; nec aſteriſcum Ariſtarcho, nec teredini farinulam, nec puluiſculo puluillum, nec horæo tunicam, nec piperi cucullum: ſic ſanum vobis ſinciput Anticyræ beneficium perpetuò remittat: ſic nobilium iuuenum, & bonorum Principum aures teretes & eruditæ veſtros numeros perpetuò ſitiant: ſic ad votum modumque veſtrum mobiles decreſcant auriculæ Midarum: ſic aureæ pecudes turgida vobis potiùs, quàm Phormionibus & Gnathonibus, vbera ſubmittant: ſic ad doctarum præmia frontium, ad veſtrorum acroamatum corollaria, ſindonem, lauream, ſportulam, annulum, rectam, inteſtabiles ſpadones & glabelli cincinnatuli non aſpirent. Aſpicite nos, amate nos, elegantiæ magiſtri; iucunditatis artifices, honeſtatis interpretes, aſſeclæ pacis, vmbræ felicitatis. Vale mihi multùm, & viue felix, quà pote per ferreum ſæculum, aurea natio Poëtarum.

AD
SILVESTRVM GRIMALDVM
DE
LIBRIS SILVARVM
AVGVSTINI MASCARDI
AB IPSO EDITIS
IOANNIS ANDREÆ FONTANELLÆ
MVTINENSIS
ODE.

SILVAS *Pieridum diſpoſitas manu,*
Et rore irriguas Caſtalio, Ligur
Exercebat Apollo
Romanæ ad numerum Lyra;
Heroumq́; decus diſcere Martium,
Virtutumq́; ſacras dicere laureas,
Funeſtumq́; iubebat
Suſpirare frequens nemus:
Cùm tu frondiferæ gloria Regiæ,
Silueſter, nemoriſq́; Aonij iubar,

Has

Digitized by Google

Has mutare canori
Sedes Imperij ſtudes;
Auritiſq; iubes diuidere vrbibus,
Quæ ſurdis furor eſt credere ſaltibus
Inter murmura lauri
Docti carmina pectoris.
Non lento ſequitur conſilium gradu
Vates, & meritâ fronde premens comas,
Ceu ſilueſtre trophæum
Siluarum domitor refert.
Iamq; vrbana terit compita, laudibus
Innectens ſtabiles vertice laureas,
Quæ mirante theatro
Immortale repullulant.
Cedant Aeneadum Cæſaribus ſata
Silua vrbe in mediâ: ſed neque penſiles
Murorum efferat vmbras
Decantata Semiramis.
Hæc miracula iam victa feracibus
Laudum frondiferæ ſtirpis honoribus;
Quos vrbanus Apollo
Iam nunc deſtinat vrbibus.
Frondoſæ intereà ſceptra potentiæ
Te, Grimalde, manent: te vocat arborum

Proles

Proles multa comantum
Sortis præſidium ſuæ.
Vbertas grauidi fertilis ingenî
Iam dudum auſpicijs parturijt tuis
Quæ nunc, te Duce, docta
Fundit lucis in aream.
Siluarum è viridi nomen habens coma,
Siluarum meritò numen eris nouum:
Quæ te Conſule digna
Conſulto veniunt tuo.

AVGV-

Digitized by Google

AVGVSTINI MASCARDI

SILVARVM
LIBER PRIMVS
DE
REBVS HEROICIS.

IOSEPHO FONTANELLÆ
S. IACOBI EQVITI
AVGVSTINVS MASÇARDVS
S.

QVÆ ſuperioribus annis ad quotidianæ propemodum ægritudinis leuamentum adoleſcens pænè quadriluſtris effudi, ea ad te priuatum munus, beneuolentiæ teſtimonium mitto. Ab ingenio tuo laudem, excuſa-

Digitized by Google

tionem ab humanitate deſperare qui debeam? Verùm, quemadmodum ætas hanc ſibi vindicabit vt neceſſariam, ita illam velluti ſuperuacaneam, à te præſertim viro amiciſſimo, Muſarum leuitas non requiret. Mihi ſanè Poëtæ nomen aucupari non libet, venari gloriam non licet: nec amœnitatem veris, æſtatis fecunditati præpono: imperitæ verò plebis ſuffragium is expectet, qui plebis temeritati dotes ingenij mancipauit. Vale.

IRENE

Digitized by Google

IRENE

SIVE

DE PACE ITALIÆ

CONSTITVTA.

VERA-ne? pacati vernat clementia cæli,
Collectáq; volant nubes, & diſcolor Iris
Aetheris in lacrymis tranquillo lumine ridet?
Cærula quis pluuio detergit nubila olympo
Phœbus, & aurato declarat ſidera vultu?
Quis calor immites glomerati turbinis iras
Diſcutit, & rabidas reuocat ſub iura procellas
Nimboſáſq; hiemes, & claſſica ſæua minantum
Ventorum placido cogit manſueſcere motu,
Prælia dum facilis freno compeſcit amoris?
Cernis vt Italiæ, iam rareſcentibus vmbris,
Alba ſerenatis, purum per inane, quadrigis
Lux inuecta, die terram ſublimis inaurat?
Nulla per obſtantes luctantur fulmina nubes,
Atque aditum ad terras, cæli per vulnera, quærunt:

Nulla fremunt arcto vallata tonitrua nimbo,
Atq; animum atq; aures exſurdatura fragore:
Stat cælum, & vario tantùm modulata rotatu
Permulcet vacuas hominum ſymphonia mentes.
Scilicet æterno complectens omnia nexu
PAX, *trepidas oculata comas, delapſa per auras*
Tandem ſidereo perfundit nectare terras:
Illa comæ radijs bellorum ſauciat vmbras,
Et geminos oculorum orbes, quibus aſtra ſerenat,
Fraterno ſplendere docet rutilantiùs auro,
Contractumq; aperit ſinuatâ cyclade cælum.
Italiæ ô ſalue columen, ſpes vna laborum,
Mundi altrix, ſtudij mater, iuriſq; propago,
Votum animi, cordis cor: ſalue certa Tonantis
Progenies, terræq; vigor, Superumq; voluptas.
Tu mea, dum doctam quærunt nutantia frondem
Tempora, cinge oleâ; & ſacras ſitientia lymphas
Pectora, tranquillo rorent adſperſa liquore
In laudes animoſa tuas, dum mutus in antris
Cynthius Aonidum ſomnos traducet inertes.
Sanior vt bello Inſubres diſcordia turmas
Explicuit, rectæq; acies, atq; agmen aperto
Effuſum ſtetit in campo, dumq; ære renident
Arua repercuſſo, & ferali luce coruſcant,

Italia

Italia ancipiti dudum vexata tumultu,
Exitio propior, iam iamq́ue futura ſuorum
Præda fremit, votiſq́ue Deum gemebunda fatigat:
Ventilat errantem per eburnea colla capillum,
Natiuum qui ſponte fluens temerarius aurum
Diſsipat, & vittas ſine lege in terga refundit,
Sertaq́ue vix patitur vario bacchata pyropo:
Gemma oculis iam prona tremit, iamq́ue innatat altus
In vultu dolor, & faciem demittit honeſtam;
Igneſcunt ſine luce genæ, vix attrahit auras
Pectus, in exhauſto vix & ſuſpiria corde
Inuenit, exitium deploratura ſupremum:
Longum ſyrma trahit, tragici monumenta doloris,
Sed niueum violata ſinum, nudata lacertos:
Qualis, vbi Cæſar parui Rubiconis ad vndas,
Cognati ductor ſceleris bella, impia bella,
Et conſanguineos prauertit mente triumphos,
Ingens viſa Duci Patriæ trepidantis imago
Fertur, & arcano gemitu permiſta locuta.
Vt ſtetit Italia, & lacrymis turgentia tandem
Lumina, deciduos euicta admiſit in imbres,
Facundos dolor in gemitus ſic ora reſoluit:
Illa ego, quæ populis quondam Regina ſubactis
Diſperſi cum ſole manus, anniq́ue repoſtas

A 3 Perrupi

Perrupi dominata vias, vexillaq; ad Indos
Protuli, & Oceanum docui parere Latinis:
Illa ego, cui ſupplex olim populare tributum
Terra dedit; ſolis quæ peruia & inuia luci,
Italia patuit, quamuis ſemota, triumphis;
Nunc proli laceranda dabor? fremet vnius ingens
Bellum vteri, matriſq; ſua præcordia figet?
Proh cladis monumenta noua! fluitare per arua
Italico cernam temerata fluenta cruore?
Italico cernam ſegetes pingueſcere tabo?
Tanta furor ſæuo-ne dabit ſpectacula campo,
Atq; erit Italia ſpectatrix, ſcena, theatrum,
Arca, bellatrix, merces, ſpes, præda, ſepulcrum?
Non ſatis, ah, gemui quondam, cùm turpis in iras
Colluuies furiata, meos peregrina per agros
Exitium letumq; tulit, Latioq; cruori
Fœda inhians, rabidas laſſauit funere fauces?
Artibus his placuit nullos habitura triumphos
Bella geri, vt madeant ſociali ſanguine campi,
Et flos Italiæ crudeli in morte profundat
Bellatricem animam, nullo proſciſſus ab hoſte?
Et videt hoc Pietas? ô ferrea pectora, votis
Surda pijs, aurita feris, quæ prælia verſant,
Vt proprium redimant alieno funere funus.

Ite,

Ite, ite, Italiæ per viſcera matris adactum
Proxima natorum populetur viſcera ferrum:
Ite, animas damnate orco, laxentur Auerni
Clauſtra trucis, vacui pateant ſæua atria Ditis,
Supplicijs anguſta meis: ite, arma neceſq;
Cognatis agitate odijs, dum Thracius alto
Inſonat Aegæo, lunaq; infauſta minantis
Cornua (proh pietas!) pleno iam circinat orbe.
Aut magis (inſano videor ſi rumpere queſtu
Sidera, & Heroum pia corda laceſſere dictis)
Tu, quæ flammati reſidens in margine cæli
Prodiga nectareo conſpergis lumine mentes,
Atque alis æterno concordia pectora riſu,
Vena boni ſincera, ſalus PAX *aurea mundi,*
Tu gemitus miſerata meos, miſerata dolores,
Commotos permulce animos: diſcedet olympus
Dum venies, toto diſcedet limite mundus,
Et lux diuiduo diſtinguet nubila ſulco.
Te veniente meos renouabit riſus ocellos,
Gratia contracta diſſoluet ſeria frontis,
Et Pietas auerſa, oculos ad caſtra ſerenos
Conuertet, moreſq; nouos, humanaq; iura
E cælo reuocata, orbi præſcribet amanti.
Ipſa Salus proprio deterget vulnera velo,
Obducetq;

Digitized by Google

Obducetq́; manu contracta piacula ferro.
Ergo veni, mea Diua veni, gladióſq́; coërce,
Et dubijs illapſa animis, in priſtina iunge
Fœdera, magnanimum cæli genus: ibit ad vmbras
Tartareas furor, & Stygijs bella aſpera linquet.
   Dixerat, & tremulo riſerunt ſidera crine,
Dulcè polus tonuit, roris fecunda mariti·
Vena cadens agros iuueneſcere fronde coëgit.
Intereà ſuperas inter PAX candida mentes,
Diuinis ſaturata opibus, perfuſa comanti
Sole ſinum, faciles agitabat in æthere luces,
Aſtra regens vultu, populo blandita beato.
Numquam ſidereis, cælo nata, exulat oris,
Sed gremio compoſta Dei, nunc Numinis auram
Ebibit, Aligerûm quò dein peregrina per orbes
Collectas diſpenſet opes: nunc mœnia mundi
Flammea, tranquillo cuſtos cuſtode coronat,
Atq́; oculis Regina regit; nunc arbitra rerum,
Quæ malè concordes componant fœdera terras,
Ilicet ancillas famulis demittit ab aſtris.
Fortè truci perculſa ſono, belliq́; fragore
Excita, ſupremi admirans è limite cæli
Deſpicit innumero tumulatos milite campos,
Et ferri ſegetem Inſubres vndare per agros:

Mox

Mox etiam lacrymas, & verba precantia cara
Audijt Italia, ſæuis & vidit ab armis
Italiam ſua regna peti, ſua regna cieri.
Protinus ancillam famulari educit ab aulâ,
Subiectaſq; iubet curſu perrumpere nubes,
Et iubet Italiæ motos componere fluctus:
Quoq; animos facilis partes verſaret in omnes,
Ipſa oleo crinale aurum permulſit, & inde
Iridis in morem glomerato ſidere cinxit,
Ambroſiâ vultum adſperſit, geminumq; per orbem
Aſtrorum geniale iubar permiſcuit vmbris,
Et famulam complexa ſuos afflauit honores:
Vade, ait, immites vbi Mars metuendus in iras
Ebria gentili rabidus rotat arma cruore,
Et conſanguineo ſaturatus funere, currum
Victor agens, fracta oſſa rotis proculcat iniquis.
Non illi Italiæ Regnum, feliciaq; arua
Tot grauida Imperijs Cælum permiſit habenda,
Sed mihi ſorte dedit: tenet ille immania Thracum
Littora, & horrentes exercet ſtrage Gelonos;
Illic concretum glaciali ſidere marmor
Eliquet, ardenti per vulnera mille cruore;
Sarmaticaſq; niues, nulloq; à ſole cadentes,
Atque Hæmi numeroſam hiemem tabeſcere fuſo

 Sanguine,

Sanguine, & in mores doceat migrare tepentes:
Hæc Martis ſunt regna, illis ſe iactet in aruis.
Tantum effata Dea eſt: flammas diſpellit olympi
Iam Domina Virgo propior, iam Numine plena;
Pronaq́; iam primùm, vitreum mox concita cælum
Diuidit, aurato pingens veſtigia tractu.
Hinc varijs oculatum aſtris, & flore ſuperbum
Sidereo, pennis peruadit labilis orbem.
Scorpius euomuit gelidam de viſcere peſtem,
Et Leo cum Tauro ſocios iniere labores.
Ipſe etiam gladium madidus proiecit Orion;
Inde vbi Saturni tetigit mœrentia tecta,
Ad mitem redit ille Patrem, Natiq́; Tonantis
Ore renidenti ſidus geniale tuetur,
Supplice quod Pacis legatam crine ſalutat.
Mars fera non ſolito manſueſcere pectora motu
Senſit, & indomitos poſuiſſe in corde furores,
Et Martem ſtupet ignaro miteſcere Marte.
Phœbus in aſpectu legata Virginis hæſit,
Aurorámq́; nouum timuit prauertere Solem.
Cetera quid memorem? rorantes Lucifer ignes,
Facundos Hermes, pallentes Cynthia Paci
Detulit, à nitidis radios bibitura capillis.
Illa volat, pingítque viam, iamq́; aëris arua
Nuntia

Nuntia purpureo reſerabat lumine, venti
Ore ſuſurranti libabant oſcula plantis:
Jam ſteterat campo mortali imperuia luci,
Agmina cùm placido percelli corda tumultu,
Et belli ſenſere nefas: tunc ora madeſcunt
Militibus; furor, & rabies, & pectoris æſtus
In lacrymas abiere pias, tela ipſa recumbunt,
Inq́; humeris tormenta iacent immota ſupinis:
Bellaces cunctantur equi, tuba ductilis auras
Perſonat accentu placido, nec tympana bombo
Exagitant animos, aut maſcula pectora verſant.
Haud aliter, ſeptemgeminas cùm prælia Thebas
Fraternis preſſere odijs, & mœnia dulci
Structa lyrà, fremitu quateſecit miles amaro;
Tunc vittis exuta comam, non ore ſereno,
Non habitu quo nota priùs, velut anxia mater
Deſiluit cælo Pietas, aciéſque minantes
Non intellecto iuſsit molleſcere fletu:
Protinus ambigua commota per agmina voces,
Et ſenſus rediere pij. Quid caſtra cruore
Pingimus, & ſæuis fruſtrà exultamus in armis,
Vt Thracum noſtro ſaturentur funere manes?
Heu quantum terrà potuit pelagóque parari
Sanguine, quem fruſtrà per dura profundimus arma!

Intereà innumeris exhauſta ciuibus vrbes,
Et domino domus orba gemit, natíque parentem,
Et natos pater, & coniux queribunda maritum
In rebus vocat anguſtis: per tela, ſine hoſte,
Infelicem animam nos contrà, annóſque virentes
Prodigimus; nos ſponte volans excimus ab orco
Funus, in exitium turba ingenioſa cruentum.
Vt ſenſit nutare animos Legata labantes,
Siderea impexum ceruicis liberat aurum,
Et crines quatit auguſtos, arcúmque colorat
Iridis, ambroſios afflans à vertice odores;
Atque oculis confeſſa Deam, duo ſidera frontis
Exerit, & Pacis teneros inſpirat amores.
Intereà Mars arma nouat, duróque iugales
Compoſitos adamante regit, quibus igne minaces
Stant oculi, mortíſque agitant inſignia flammis;
Arguta quatiunt ceruicis mobile pondus,
Semper & efflatis inceſtant ignibus auras:
Hic pauor, ille furor: fera prælia miſcet vterque,
Impatiénſque moræ pretioſum mandere frenum
Incipit, & rabidus plantis inſultat arenæ.
Ipſa ſedet Bellona, truces auriga iugales
Ipſa agit, aratis & ſulcat terga flagellis.
Mars toruo truculentus agros circumſpicit ore,

Et

Et mortis bibit iram oculis; gaudétque furentes
In plagas, in fata manus: cùm protinus ira
Detumuit rabies, & nondum cognita Martis
Viſcera tentauit Pietas; ſtupet inſcius, & iam
Pro Pietate furit, cordíſque interrogat æſtus:
Quæ mala me inuaſit tabes? qui pectoris iras
Feminei vicère doli? date tela, date enſes,
Vt cadat inuiſæ mentis ſtupor anxius armis.
Dum loquitur, fluxere iubæ, collapſáque ceruix
Nutat equis, cecidere oculis trepidantibus ignes;
Nec iam ſanguineos feruens quatit vngula campos,
Et Bellona feros metuens tegit ægide vultus,
Aduentum teſtata Deæ. Aſt illa igne decoro
Sidereas perfuſa genas, Domináque iubente
Plena, oculis Martem placidis proſpectat, & infit:
Terrarũ armipotens metus, inſuperabile Numen,
Arbiter imperij, mundum qui turbine verſas,
Qui tantus quatit arma furor? quæ funera poſcunt
Tela graui criſpanda manu? compeſce dolores:
Pax adſum Italiæ cuſtos, nec bella nec enſes
E cælo demiſſa gero, verùm Itala regna
Indomitis perculſa odijs miſerata reuiſo.
Sed quis te caſus Geticis auulſit ab aruis
Biſtonias agitantem acies, & in hoſpita traxit

 Littora,

Littora, tranquillæ dudum regnata quieti?
Quò te fata vocant? quæ formidabile ferrum
Finibus Italiæ breuibus fortuna coërcet?
Sæuus odoratis non debacchatur in hortis,
Nec veris populatus opes violaria vellit,
Gemmantéſque metit Boreas in vallibus herbas;
Sed Scythicis furibundus equis Rhiphæa flagellat
Robora, vel cæli campo graſſatur aperto,
Vel gelido incumbens pelago, procul inde carinas
Diſsipat, vt grauidis concreſcant æquora plauſtris:
At pubeſcentes gemmas Zephyritis adulat,
Et ſuſpiranti permulcet flamine flores.
Tu quoque cui collum tellus famulare iugandum,
Sidera cui cælum, ſubmittit Auernus & vmbras,
Vade vbi Danubij Rheníque horrenda tricornis
Rhætia ſidereas genitrix minitatur in Arctos,
Atque tuos permiſce amnes: nec Belgica Tethys
Sobria ieiuni conſumat flumina Rheni,
Thracia nec puris Iſtrum voret Amphitrite
Retrò pulſa vadis; tepidis ſed ſanguinis vndis
Ebria, perrumpant temulento gurgite marmor
Flumina, congeſto metuenda cadauere Diti:
Aut vbi femineas inſtigat ad arma phalanges
Hebrus, & infauſto lacerum gemit Orphea lapſu
Orphea,

Orphea flebilibus deflentem funera lymphis;
Hic rabies odiúmque ſuis alimenta venenis
Inuenient, hîc Martis honos, hîc regia mortis,
Hîc belli campus: tandem his gaudebis in aruis
Irarum feruere rogos, tantiq; capaces
Numinis, indomitis agros pubeſcere telis.
Hîc furor, hîc pauor (aurigans quibus aſpera tergus
Pallas arat) proprio ſaturandi gramine (gramen
Membra hominum lacerata armis, contrita feroci
Dente) redundanti poterunt pingueſcere tabo.
Vade ergo, & campum bellorum nactus apertum,
Exere fatales, Numen fatale, lacertos,
Et mortis iam pande vias: verùm Italus impar
Et tantis minor exuuijs, clementius aſtrum
Inuocet, vt placidâ compoſtus pace quieſcat.
Dixit: at impatiens animis exaſtuat imis,
Cordis & ex oculis præfert incendia Mauors:
Quale flagrat numquam viſus ſine clade Cometes,
Aut cælum, pluuijs vbi fortè Dieſpiter vmbris
Sæuijt, ac bellum tonitru furiale minatus,
Ardua fulminibus iaculatur tecta triſulcis;
Talis in hoſtilem coniecit lumina Mauors
Virginem, & obliquas frontis per nubila flammas
Contorquens, vocis tonitru perterruit orbem:

Vado,

Vado, ait, extremas quò me indignata per oras
Fata vocant, Martémque fero; nec ſegnibus aruis
Italiæ teneor, turpi ſi languida pace,
Belligeros oblita patres, mea iura recuſant.
Torpeat indecori tellus ſopita veterno,
Indociléſque manus, pectúſque imbelle, voluptas
Frangat, & Italiam doceat marceſcere luxu.
Ibo, ibo, & Geticas agitabo in prælia turmas,
Femineas verſabo acies; incendia, cædes
Miſcebo, Martémque odijs Mars ipſe probabo.
Laxior Hercinia clarabit Cynthius vmbras,
Robora dum miles repetito vulnere cadet,
Vt nouus armatis ſilueſcat lucus in haſtis.
Teſtis eris Rhodope, nimborum prodiga mater,
Teſtis Athos, teſtes ô qui Pangæa iuuencis
Sciditis, offenſo quantus ſub vomere quondam
Armorum fragor erumpet: iam proxima Ponti
Littora Cimmerij fluctu concuſſa tremiſcunt,
Horrida dum refugit Martis deterritus arma.
Quin etiam exanguis damnati carceris vmbras,
Atque ipſum Plutona timor tentare profundos,
Queîs lateat, cogit reuoluti gurgitis amnes.
Quid moror? & Cælum faſces ſubmittere Marti
Sponte parat; vetito cupiunt ſe credere Ponto,

Aequora qui gelido nectunt adamante Triones.
Iam fugit Arctophylax Vrſæ ſub imagine, Matrem
In ſiluas iterùm vel templa infida ſecutus;
Quiq; Lycaonias Serpens interſecat Arctos,
Explicat horrendi ſinuoſa volumina tractus.
Sic ait, & rabidas iaciens è lumine tædas
Flectit iter, curruq; alium tranſuectus in orbem
Lampada dat Paci: curſu hæc campoq; potita,
Spargit rore acies, bellantum & pectora mollit;
Mox pennis librata volat: quam cùm agmen aperto
Alternantem humeros cælo, ſudumq; ſecantem
Agnouit, tali fugientem eſt voce ſecutum:
Salue amor ô mundi, cæli lux inclyta ſalue,
Curarum requies, & felix meta laborum:
Te ſequimur votis omnes, tua iuſſa libentes
Exequimur; duri ſpecioſa pericula Martis
Thracia collatis diuexent pectora telis.
Nec dictis anguſta fides; in fœdera dextræ
Atque animi coëunt, damnatáque caſtra relinquunt;
Et bona tranquillæ Pacis probat omina cælum.
Ite ergo Inſubres, facilis ſub ſideris auro
Felices agitate dies: iam falce colonus
Securos per agros flauentem demetat annum,
Et reſponſura committat ſemina terræ.

Italiæ gemitus, lacrymæq; per ora caduca
Iam ſileant; trepidæ quondam ad certamina Muſæ,
Et latebris taciturnæ altis, in carmina plectrum
Sollicitent; priſcumq; melos. PAX *candida terras*
Iam ferrugineâ cæcas caligine inaurat;
Et PACEM *inclamant mortalia pectora*, PACEM.

IN REDITVM

ALOYSII ESTENSIS

PRINCIPIS

AB HOSTIBVS DEVICTIS

EPIPOMPEVTICVM.

ME *quoque bellantum rapit in certamina clamor,*
Et furor attonitas galeâ radiare Camœnas
Cogit, ALOYSIVS *dum fulgurat enſe minaci.*
Ite leues hederæ, grauidi procul ite corymbi,
Daphni vale, ſertumq; nouum mea pectora cingat:
Ipſa etiam quando damnauit caßide lauros,
Criſtatumq; apicem conoq; natantia ſigna
Induit Euterpe, tragicos incincta cothurnos,

Et

Et ſæuos mentita ſonos cælum increpat ære,
Palladis imperio, lateriq́ accommodat enſem:
Aſpera nam Mauors in prælia cogit alumnum
Nondum primæuo pingentem flore iuuentam
Sæuus ALOYSIVM; *ſecum quem Pallas inermem*
Muſarum per amœna trahens, ſophiæq́, per agros,
Jam dudum docto iuſſit certare duello.
Inſtruit illa aciem Iuueni, Muſáſque ſequaces
Ire iubet, primos celebrent vt militis auſus,
Fortiáque hoſtili deſcribant facta cruore.
ESTENSIS *proh Gentis honor, cui fata dederunt*
Pierias laſſare tubas, meliúſque ſonantum
Vatum ora, excelſis in laudes cogere factis:
Semper ab aurato pretioſa repullulet arbor
Ceſpite, quæ gemmas trudat fecunda recentes,
Pierides poterit tunc laudibus exercere:
Et modò ne deſint effetis carmina ſæclis,
Non deerit virtus, nec Vatibus argumentum.
Sed quæ fama iugis ſerpit modò didita ab altis
Affore ALOYSIVM? *noſtras quíſve impulit aures*
Gratantum fauor, & populi per compita plauſus?
Scilicet ille redit, regnatáque mœnia tandem
Ingreditur ſeſe maior; tantúſque renidet
Frontis honor, canos vt præſtet in indole ſenſus,

Digitized by Google

Purpurea & lateat grauibus ſub moribus ætas.
Audin'? ALOYSIVM *Phœbeo baccare pubes*
Cincta canit, gladióſque rotat, vexilláq; ad auras
Explicat, irritans ad ludicra bella phalanges.
Ille fugam ſimulat, dubieq; per arua recurrens
Nunc cadit, inde furit validos Antæus in auſus;
Iamq; hoſtem oblongo certum deſignat ad ictum
Aere (quod æquali diductum tramite, multâ
Arte faber fudit, nitrato puluere miles
Farſit) & ab tergo iam ſubdolus applicat ignem:
Eit fragor; eliſas veluti cùm fulgura nubes
Increpitant, mugitq; æther furibundus in orbem:
Hic declinatâ venientes eminus haſtâ
Tardat equos, greſſúſq; vetat glomerare ſuperbos,
Innixus pedibus; reſonantia tympana bombos
Ingeminant, ſtrepitúque gemit tuba rauca ſonante.
Hos inter pugnæ luſus lunatur in arcum
Miſta acies, Iuuenemq; ſinu complexa iocoſo,
Sedula victoris veſtigia Principis ambit:
Aſt vbi lunatæ tenuantur cornua pubis,
Incinctus lauro miles diuiſus vtrimque
Prominet; aduerſum proſpectat vterq; viciſſim,
Alterniſq; ferit rutilantia cantibus aſtra;
Carmina ALOYSII *celebrant alterna triumphos.*

Degener

Degener antiquos ætas mirata parentes
Illuſtret proprias alienâ luce tenebras,
Mutuáque à proauis decora in ſe transferat olim;
Nomen ALOYSI *priſcum virtutibus æquas,*
Atque Ducum exactos reuocas virtutibus annos,
Heroum proles, magníſq; parentibus orta,
Maior ab integro te Principe germinat orbi.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos.*
Expectet ſenium meritis, quiq; induit arma,
Pacatas contemnat opes, ſtudiumq; Mineruæ:
Noſter ALOYSIVS *dum laudibus ampliat æuum,*
Abſtruſas ſophiæ, doctaſq; perambulat ædes,
Fertur & in dubij ſpecioſa pericula Martis;
Ore tener, fortis dextrâ, ingenióque peritus,
Ingenio Pallas, Mars dextrâ, atque ore Cupido.
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.
Vos, vos, ô terræ gemini, duo ſidera, fratres,
Diues ALEXANDER, *mordet cui purpura crines,*
Et CÆSAR, *tantâ iam prole beatior, altis*
Conſilijs validos formaſtis in indole ſenſus.
Sic viget in mediâ tutum cor pectoris arce,
Et manibus pedibuſq; ſuis alimenta miniſtrat;
Lumine ſic Lunam pleno Sol perficit orbe.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos.*

C 3 *Tu*

Digitized by Google

Tu quoque fraterni ſtimulaſti pectoris iras,
Dum tua magnanimo feruerent corda tumultu
ALFONSE, *immitis cùm te vis improba morbi*
Abripiens, Fratri belli permiſit habenas;
Et te qui lacerat morbus, fit in hoſte medela.
Proh quantus qualiſq; fores, ſi fata dediſſent!
Sed ſubit ille vices: redimit ſic Caſtora Pollux.
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.
Concilium cogit, belli quid iura requirant
Poſcit ALOYSIVS, *tanto ſub pondere rerum.*
Arx fuit abrupto præcelſa cacumine montis
Naturæ vallata manu, defenſa maniplis;
Hanc iubet exſcindi, tormentáque mœnibus audax
Admouet, & magno contundit mœnia bombo
Eloquio Neſtor, ſed robore pectoris Aiax.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos.*
Ingentes agitant iuuenilia pectora curæ,
Aeſtuat audaces confringere cominus hoſtes,
Dirutaq; ingreditur victricibus oppida ſignis;
Regia cùm ſubitò fluitant vexilla per auras
Victoris remorata viam: Dominam ille volucrem
Vt vidit, Iam cedo libens, ſat vicimus, inquit;
Vici hoſtem dextrâ, obſequio te vincimus Ales.
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.

Dum

Dum fugit imbellis patriâ depulſus ab arce
Infantum grex, maternis gemebundus in vlnis,
Immiteſq́; patres expertus, in hoſte requirit
Præſidium: Princeps morituros excipit vltrò,
Et fouet, & recreat: ſic nobilis ira leonum
Sæuit in audaces, eadem ſed præterit agros.
Scipio ſic quondam, ſic fecerat antè Metellus.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos.*
Primus iuſſa ſubit, quoties ſeu cingere vallo
Caſtra iubet, validis ſeu pondera ferre lacertis,
Solaturq́; ſuas parili ſudore cohortes.
Sudor at hic palmas, roſeo dum labitur ore,
Irrigat, & dextra meritum educat ornamentum.
Talem te retulit quondam Germanice bellum,
Talis eras ſæuos inter Traiane tumultus.
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.
At dum nocte iacit non exſuperabile vallum
Miles, & adductis ſepit tentoria foſſis;
Non ſegni dat membra toro, ſed noctis in vmbris
Sponte iacet defeſſus humi, tenuemq́; quietem
Vix conniuenti delibat lumine Princeps.
Sic Marium ſtupuit quondam Romana iuuentus,
Sic Antoninum vigiles producere noctes.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos.*

Dum

Digitized by Google

Dum longâ hoſtiles premit obſidione phalanges,
Eminus imperio pugnat, ſocioſq́; maniplos,
Quamquã abſens, vultu oblitas inflammat in iras;
Partitúrque vices, curas diuiſus in omnes.
Sol quoque dum moritur, dum ſubdita regna colorat,
Quamquam abſens, noſtris etiam ſplendeſcit in oris;
Partitúrque faces, radios diffuſus in aſtra.
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.
Salue magna Ducum ſoboles, quâ præſide Cæſar
Vicit, & immanes domuit ſine clade furores:
Te Duce ſanguineo minitans Bellona flagello
Compreſſit violenta minas, raucúmque ſonantes
Iam tandem ſiluere tubæ. Viden' ora manúſq́;
Principis, ô numquam ſatis exſaturata tuendo
Fida cohors Mutinæ? optato iam paſcere vultu,
Et votis iam parce tuis onerare Tonantem:
Iam rediјt, iam vota tenes, iam læta triumphas.
Creſcat ALOYSIVS *veteris noua gloria Martis,*
Cuius & in medijs meruit ſapientia caſtris.
Augeat ESTENSES *gentilis adorea faſtos:*
Fundite victrices, læta agmina, fundite lauros.

LAV-

LAVREA
PRO ILLVSTRISS. FRATRIBVS ALEXANDRO ET VIRGINIO CÆSARINIS.

ASPICE *Romulidum genitrix, quæ collibus alta*
Tolleris, & cælo cognatas ſubrigis arces.
Tu Regum legumq; parens, quæ Romula tantùm
Suſpicis, externas mirari neſcia laudes;
Ingenti maior famâ, cæloq; ſecunda:
Aurea victrices cuius dum gloria bigas
Inſtruit, ad currum telluris colla mariſque
Illigat, & domito latè ſpatiatur in orbe:
Cæleſtis domus imperij, pietatis aſylum,
Iuris apex, cortina Dei, quam conſulit Indus,
Vt decreta ferat dubijs oracula rebus,
Seu quem Memnonio primùm Sol irrigat imbre
Dum roſeos infrenat equos, rutilantia quaſſans
Lora, quibus ſolitos animos accendat in vſus;
Seu qui regna colunt, quorum iam laſſus in vndas

Digitized by Google

Phœbus agit currus, & anhelos fonte iugales
Tingit, vt abſterſis niteant ſudoribus artus:
Heroum fecunda parens, ſi candida ſenſu
Numquam degeneri ſoboles tibi luſit in vlnis,
Priſcorum referens animos, noménque Quiritum.
Aſpice CÆSARIDVM *tandem par nobile fratrum,*
CÆSARIDVM *decora alta domus, queîs tẽpora Virgo*
Delia iucundis ſinuans complexibus vmbrat.
Cernis vt æquales librato examine lances
Virgineos ſtellata ſinus, radiata capillos,
Credit ALEXANDRO *rurſum delapſa per auras*
Aſtræa? vt gladium, nociturâque fulmina noxæ
VIRGINIO? *vt geminam deuincit baccare frontem?*
Ipſa etiam patriam graditur trabeata per vrbem,
Ardentémque apicem capitis, criſtáſque comantes
Mutauit Bellona oleis: non ægide pectus
Horrificat, ſquammíſq; iubet denſarier aureis,
Non habilem lateri durúmque accommodat enſem;
Qualis vbi fatale tonat, trepidóſque cruore
Cogit in Oceanum fluuios famulare tributum
Fundere, Neptunúſque gemit lacera arma viróſq;
Sed Tyrias oſtentat opes, ſaturatáque multo
Murice, CÆSARIBVS *ſubtemina inaſperat auro,*
Antiquúmque parat teneris ceruicibus oſtrum.

Nec

Nec relegam monumẽta Patrum, ſempérq; nitentem
Priſcorum arceſſam nequidquam è fontibus vndam,
Cùm proprio fraternus honor ſplendeſcere cenſu
Poßit, & æthereas penetrare animoſior arces.
Attamen hæc fuerant olim, (túque inclyta ROMA
Teſtis eras, quæ mater eras) cùm tempora Daphnis
Lambere CÆSARIDVM *geſtiret docta parentum;*
Cùm ſoboles dilecta Deo, ſtudiúmque Mineruæ
Communes habuere lares; cùm purpura faſtos
Gentiles ſcripſit, ſacras cùm plurimus olim
Per trabeas numeratus Auus, cùm vera repoſtos
CÆSARIDVM *Italiæ coniunxit fama Britannos.*
Teſtis, olorinus quam præterlabitur Arnus,
Nobilis Etruſcæ genitrix FLORENTIA *lauri:*
Namque vbi iam vetitos ſereret diſcordia motus
Romanos Graióſque inter (ſic priſca parentum
Dißidia in ſeros ſerpunt tranſmiſſa nepotes)
Fœda ſuperſtitio ritus exoſa Latinos,
Ipſa ſibi lex vna fuit, ſanctúmque Quiritem
Perfida deſpexit. Quotquot ſub vtroque iacentes
Cardine, qui niueâ religati tempora mitrâ
Romano de more ſacris operantur, & aras
Ritè colunt, celebres Florentis nominis vrbem
Aduenere: ſacros inter tu maximus omnes

CÆSARIDVM *decus Antiſtes, cui nomen* IVLVS,
Imperij ſpes Auſonij, cui purpurat oſtro
Cæſaries, Danaûm fregiſti inamabile robur.
Namque vbi Beſſarion verbis ſtudióque timendus
Ingenti tonat eloquio, dum fulmina linguæ
Cecropióſque ſales certos contorquet in ictus;
Romanóſque Patres, & auitos vrbis honores,
Palladiâ, heu, nimiùm confidens arte laceſſit,
Et dubium iam turba frequens admurmurat omen;
IVLIVS *Auſonio intonuit facundiùs ore,*
Et verbis verba illudens, & dicta refellens,
Turgentes Danaûm linguâ compeſcuit vndas.
Quin etiam patrios ſenſim dediſcere mores,
Et docilis cœpit Romana capeſſere iuſſa
Beſſarion, ſenſúſque nouis damnare priores.
Talia maternâ geſſit memorabilis arte
Threicius vates; cuius dum plectra ſequaces
Alliciunt quercus, cogunt molleſcere tigres.
Sic Marcum iam vibratos, iugulóque minantes
Mucrones hebetaſſe ferunt, dum plurimus enſe
Imminet intento miles, ciuilia poſcens
Vulnera, & Auſonio ſaturari ſanguine ferrum.
Hæc meritis animoſa tuis documenta reponet
Poſteritas, ſempérque nouas florebit in artes.

Cernis,

Cernis, ALEXANDRI *collecta modeſtiùs ora*
Vt Curios referant, maieſtatémque Catonis?
Vt frontis numeroſus honor, mitíſque iuuentæ
Flos vigeat, mentem ſpirans animóſque Quirinos?
Non mores aut facta Numæ (quo rege Deorum
Plebs creuit, faſtóſque nouos ſcripſere Latini,
Naſcentéſque Deis fulſere micantiùs aræ)
Spernit ALEXANDER, *veræ pietatis imago.*
O fortunatos nimiùm, quibus indolis aureæ
Robur, & ingentes Romani pectoris artes
Noſſe dabit fortuna, quibus manus apta regendis
Vrbibus, innocuas olim tractabit habenas.
Nec minùs intereà, quamuis breuiore iuuentâ,
VIRGINIVM *ſua fata trahunt, per & inuia cæli*
Aequora, per dubias nutantis marmoris vndas,
Per ventos, gelidóſque imbres, lapidoſáque Cauris
Nubila, dum rerum cauſſas nouiſſe latentes
Quærit, & ingenio rimatur iura Lycei.
Hæc Dea, quæ Stygijs miſcet liuentia felle
Pocula, non proprijs lætari neſcia lucris,
Senſit, & ingemuit, laniatáque brachia morſu
Vipereo infecit tabo, digitúmque momordit.
Mox vbi VIRGINIVS *duro exercere lupato*
Diſcit equum, greſſúſque docet glomerare ſuperbos,

 Adſtitit,

Adſtitit, & tumidi ſinuoſa volumina crurum
Fregit equi, iuuenemq́ ferox extendit arenâ:
Scilicet auſa nefas, quo purus inhorruit æther,
Ingemuit tellus, lacrymas fudere Camœnæ.
Ipſe etiam fletu fertur maduiſſe ſilenti
Mœſtus equus, veterúmque ſuas oblitus honorum
Demiſiſſe iubas, reliquumq́ inglorius æuum
Egiſſe. inuidiæ tantum potuere ſagittæ.
Quantum animis erroris ineſt! vt pondere palma
Flectitur, & ramis felicibus oſcula libat
Feſſa ſolo, & rurſum patrias aſſurgit in auras;
VIRGINIVS *ſic preſſus humi, ſtratóque recumbens,*
Attamen aſtriferos ſpectare propinquiùs orbes,
Et potuit dubios Iuris luſtrare receſſus,
Ingenio monſtrante viam, quod nulla laborum
Exhauſit facies, nulli domuere dolores,
Liuidaq́ erubuit Virgo. Tum Pallas honeſto
Flore comas ornare parat: geminauit honorem
Aſtræa, & doctâ conſtrinxit fronde capillos,
Fraternus quâ fulget honor, ſempérque nitebit.

HE-

HEROES ET HEROINÆ.

ROMVLVS.

VRBIS *fraterno deſcribit ſanguine vallum,*
Vt vix dum naſcens Roma cruenta furat.
Qualis erit, quondam armatos cùm feta maniplos
Orbis ad exitium ſanguinolenta dabit?
Si conſanguineâ ſaturantur cæde bipennes,
Pœnus ab hoſtili vulnere tutus erit?
Sanguine Roma alitur naſcens, non lacte Quirino:
Vbera non credis ſæua dediſſe lupam?

FABIVS CVNCTATOR.

DVM *fremit impatiens, iugulo iámque imminet Vrbis*
Annibal, Italicis fulmen & ignis agris;
Cunctatur Fabius, ſiluáſque perambulat altas,
Pœnorúmque ſedens caſtra pauenda domat.
Vulnere ſic tacito corrodit lenta medullas
Peſtis, & ignoto funerat igne ſinus.
Diſce nouas vincendi artes ſine clade, proterue
Annibal, Auſoniam perfide diſce fidem.

Sanguine

Sanguine cui creſcit laurus, coma digna cupreſſo eſt;
Nam victor telis vincitur ipſe ſuis.

ANNIBAL ORBATVS LVMINE.

ANNIBAL *Italiæ dum ſpectat ab Alpibus oras,*
Mortem imperfectam, lumine caſſus, obit.
Venit, ſed quondam forſan veniſſe pigebit:
Vicit, ſed victus denique terga dabit:
Et vidit, magno ſtetit at vidiſſe; videret,
Si non vidiſſet, forſitan ille magis.

IDEM.

VIDERAT *Italicas ſignis ferus Annibal arces,*
Lumine cùm captus protinus ingemuit.
Fortè diem ſenſit Romani nominis, & vix
Vno oculo potuit ſuſtinuiſſe iubar;
Aut orbis potiùs quo cernere poſſet ocellum,
Cum Ioue lætitiam lumine pactus erat.
Perge, dabunt ſi fata tibi domuiſſe Latinos,
Sponte oculum Victor claude alium, & morere.

IDEM.

ARDET *in Italiam, Italiã vorat Annibal hoſtis.*
Quanti emet Italiam? carior eſt oculo.

CLOELIA.

Digitized by Google

CLŒLIA.

ASPICIS vt ſexu maior Tiberina fluenta
 Tranſnatat, & vitam Clœlia credit aquis?
Nec premere vnda poteſt generoſi pectoris ignes,
 Condere nec tantum nox inimica iubar.
Emicat, & fluuio ſtillantes roſcida crines
 Stella velut ſalſis aurea ſurgit aquis;
Protinus & ſocias tenebroſo è carcere ducit,
 Protinus & Romæ nubila mœſta fugat.
Thermodon taceat, vincuntur Amazones: illæ
 Multum pugnando, hæc plus fugiendo poteſt.

CLEOPATRA.

DVM timet exuuias Romani augere triumphi
 Femina, Niliacæ cui famulantur aquæ;
Vitatura iugum crudeles admouet angues
 Pectori, & accito funere læta cadit.
Scilicet vt titulis pereat Regina ſuperbis,
 Sponte venenato pectora dente ferit.
Gaudia quis Regni dicet ſpoliata veneno,
 Regna veneniferâ dum ſine peſte ruunt?

EADEM LOQVITVR.

FRVSTRA *armis Romane tonas; Cleopatra triumphi*
Sarcina non paſcet Regna Latina probris.
Libera non ſeruum librat mea dextera ſceptrum;
Torta nec ancillis, penſa trahenda capit.
Detrectant mea colla iugum, quæ tortilis ambit
Circulus, in niueo pectore diues onus.
Probra caput neſcit, radijs inſigne coruſcis,
Et cui natiua ſerta dedere comæ.
Seruitium exitio redimam, Regina peribo:
Tolle iugum, quiſquis corda iuganda geris.

ANGVES EIVSDEM.

ANGVES, *queis Regni debet Regina Canopi*
Ornamenta, ſuis diues in exequijs;
Numquid atrox Stygio rapuiſtis ab amne venenum?
Effera ſic clamat. quam vomuere luem,
Reginæ vitam, Romanaq; vincla momordit:
Pauca loquor, tetigit Roma quod ipſa gemat.
Eminus infecit Latios metuenda triumphos,
Juſsit & auratas ſegniùs ire rotas.

GORGIAS

GORGIAS POSTVMVS.

MORTVA *fert viuum mater fetum; ille priuſquam*
Aſpiceret vitam, iam tumulandus erat:
Impoſitus feretro cunas non vidit, & umbras
Ante iubar ſenſit, nox fuit ante diem.
Iamq́ſinum ingrediens mortis, vitã inuenit infans,
Et ſubitò ad cunas mittitur à tumulo.
Penè rogo iniectus, ſolis non viderat ora;
Lucem letales fortè dedere faces.
Quid mortem timeas, Mors ſi te mater in auras
Extulit, & vitam, quâ caret ipſa, dedit?
Spondeo Phœnicis tibi ſæcula Poſtume, viue;
Ille etiam medio è funere ſæcla trahit.

VIRGINIVS VIRGINIAM FILIAM INTEREMPTVRVS.

Prælegendi Liuius & Dion.

VIRGO *patris moritura manu, durũ excipe ferrũ,*
Quod pius in caſto pectore condit amor.
Te pietas cadit, pereat maleſanus vt hoſtis,
Inq́ tuo inueniat funere funus amor.

 Turpis

Digitized by Google

Turpis amor forma, dira fax improba mentis,
Proflua quam extinguet ſanguinis vnda tui.
Funere Virginitas emitur benè; funera perfer,
Diues erit pretio ſanguinis emptus honor.
Appius hoc gladio, non tu, mea nata, peribis:
Ipſa feres vulnus, vulneris ille notam.
Dixit, & inuito rimatur viſcera cultro;
Et ſe, quis credat? conſecrat enſe patrem.

IDEM.

LIBERA *Romanas peperit te mater in auras,*
Traxiſti teneros libera virgo dies:
Nunc fera captiuis nectuntur vincula palmis,
Captiuuſq́; timet vincla nefanda pudor.
Bina ſed hoc vno ſcinduntur vincula cultro,
Atque vno geminum ſcinditur enſe probrum.
Libera nata cades, liber pudor occidet: enſis
I celer, & nata vincula ſolue mea.

IDEM.

SIC *tandem, mea nata, iaces? ignoſce parenti,*
Cuius ab humano vulnere caſa iaces.
Te pater extinxit: cauſſam quid quaris? amorem
Conſule, mors patris in vulnere munus erat.

Ergo

Ergo vale; iratas & dum placabimus vmbras,
Adſis à ſuperis ſæpè vocata plagis.
Intereà ferrum hoc aris te deſtinat Appi,
Te magè grata Deis hoſtia nulla cadet.

IDEM.

BARBARE *virgineo quod ſpumat ſanguine ferrũ,*
Spirat in infandum vulnera ſæua caput.
Sanguinẽ alit ſanguis, fera vulnera prouocat atrox
Vulnus, & in mortem mors violenta ruit.
Cæde calet ferrum, creſcit ſitis inde cruoris;
Iam bibet è tanto ſanguine tanta ſitis.

IDEM.

DVM *cadis ante diem, blandi ſurgentia ſolis*
Lumina ſanguineâ nubila veſte tegunt.
Hinc quæ præcipiti tempeſtas horrida nimbo
Increpat Auſonium Patre tonante forum,
Exonerat iam iam furias, frangitq́ue minantem
Appium, & in Tiberim ſanguinolenta ruit.
Quid facies Appi? tonat æther, fulgurat enſis;
Naufragus à proprij ſanguinis imbre cades.

ICILIVS VIRGINIAE SPONSVS.

MITTE, *licet, dominas in libera colla ſecures;*
Non deerit noſter, qui lauet arma, cruor.
At ſponſæ pudor imperijs non cedet iniquis;
Neſcit Romanus ſubdere colla pudor.
Hunc ego, ſi potero, vel pectoris aggere cingam;
Vel, ſi non potero, ſanguinis imbre luam.
Deſine funeſtis decreta inſcribere chartis;
Scribere vel ſi ſtat, ſanguine ſcribe meo.
Tunc pars magna mei folio circumacta loquente,
Narrabit ſtabilem ſanguinolenta fidem.
Poſteritas leget, ac dicet: Tanti ignis amoris
Non poterat ſcripto nobiliore legi.

LVCRETIA MORITVRA.

FERRVM, *ah, dum noſtræ diſcindes ſtamina vitæ,*
Cauſſam etiam mortis vulnere ſcinde pari.
Frater erat vitæ pudor, ortu natus eodem;
Hoc pereunte, nequit viuere vita ſoror.
Ille abijt, iam vita abeat: tu dirige curſum,
Ne gemat, heu, fratrem flebilis orba diu.
Si quid adhuc vitæ reſtat, tua vulnera tollant;
Si quid adhuc culpæ, tu quoq; tolle cruor.

Sic

Sic pudor æquæuus vita, ſic vita pudori;
Dum cadit hic iuuenis, non cadet illa ſenex.

VETVRIA CORIOLANVM ALLOQVITVR.

HOSTIS *es, an Natus? cara das oſcula Matri,*
Anne hoſti potiùs vulnera ſæue paras?
Si pius es, patriæ gladius cur imminet Vrbi?
Oſcula ſi quæris, quid geris arma manu?
Me perimis, patriam armorũ dum turbine verſas.
Me premet heu Nato diruta Roma meo?
Dicêris Matrem Romæ tumulaſſe ruinis;
Scilicet illa meis oſſibus vrna cadet.
Viſum erit at poſtquam viuam tumulare Parẽtem,
Has ſaltem fracto in marmore ſculpe notas:
Dum caderet, noſtram Roma eſt amplexa Parẽtem,
Roma & in amplexu contumulata iacet.
Inde tuum quærent alij Cleopatra ſepulcrum;
Roma meis fuerit oſſibus vna ſatis.

PORCIA.

Vide Plutarchum.

CERNE *femur noſtro patefactũ vulnere, Brute;*
Quæ tua ſum coniux, nata Catonis eram.
Indidit

Indidit ille mihi primæuis robur ab annis,
Inde fidem didici coniuge docta meo.
Non ſatis hoc? tacitum potui ſeruare dolorem:
Cerne, gemit tantùm vulneris ore dolor.
Arcanis præſtare fidem tua Porcia, Brute,
Non queat? ah pectus ſanguine diſce meum.
Hoc ferrum teſtor, coniux, per tela, per hoſtes,
Poſſum ego non trepido pectore ferre pedem;
Et licet hoſtili, confoſſo in corpore, telo
Os hiet innumerum, muta ſilere queo.

EADEM.

PORCIA *magnanimi ſcrutans arcana mariti,*
Sauciat ah tenerum ſanguinolenta femur.
Arcanum-ne fero ſcrutari credidit enſe?
An fidei potiùs ſcribere iura ſua?
Fama vola, tantum calamis hauſtura cruorem,
Et ſcribes quod non deleat vlla dies.

FILIA MATREM LACTE PASCENS.

LACTE *parens natam fouiſti; nata parentem*
Lacte fouet, matris ſedula facta parens.
Jngenioſus amor formas ſe vertit in omnes,
Naturamq; ſuâ viuere ab arte docet:

Forſitan

Forſitan & natam docuiſſet ſanguine matrem
Paſcere, ſed melior lacteus humor erat.
Fortunata parens ſeris puerascis ab annis,
Incipis & vitam panè ſepulta nouam.

EADEM.

EXPLORATVRVS *nata pia membra ſatelles*
Tangit, vtrùm matri clauſa alimenta ferat.
Frange ſinum miles, mediâ nam pectoris arcâ
Eſcam habet, hac matris membra labantis alit.
Sed quid ages? docet hanc artem pius ardor amoris;
Hunc ſi non perimis, pabula ſemper erunt.
Scilicet ediſcet quid proſit, amore magiſtro,
Et qua naturâ eſt filia, mater erit.

MVCIVS PORSENAM ALLOQVITVR.

FLAMMA, *manum quaſaua coquit, tibi Porſena pectus*
Carpit, & in rabido prouocat ore faces.
Me dextra haud tangit dolor, at tuus æſtuat ignis,
Quem timor in pigrum conciet inde gelu.
Roma amor eſt, Roma dulcis me paſcitur ardor;
Ne dextrâ doleam, fax face victa facit?
Porſena, Romanus nondum te territat ardor?
Ab fuge, ne cineres auferat aura tuos.

DE MVCIO ET VRBIS ELVVIONE.

SVRGIT *ab extinctis Troiæ rediuiua fauillis*
Roma, & funeſto maior ab igne redit:
Deuincit flammis hoſtes, dum Mucius aris
Inijcit impauidam Rege tremente manum.
Contrahe Tibri pater fluctus; Vrbs viuit ab igne;
Inde ſibi tantùm flumina torua timet.

PHAEDRA MORITVRA.

IMPROBA *dum Phædra rimabere viſcera, ferrum*
Excute dedecoris ſigna pudenda mei.
Vt vixi, perij, peiorq; in amore nouerca,
Quàm cùm odijs ſpirant ira furorq; necem.
Hippolytum confecit amor, configat amorem
Hippolytus, noſtro in pectore ſpirat amor.
Quid Numen faciat peregrinum in corde nouercæ?
I ferrum, atq; hoſtem vulnere fige meum.
Nil odijs perago, ſed amore vlciſcor amorem:
Perdidit hic iuuenem, perdat & hunc iuuenis.

FAVSTAE TVMVLVS.

SISTE *gradum, quicumq; legis miſerabile carmen,*
Inq; meos cineres probra nefanda iace.

Fauſta

Fauſta breui excipior tumulo; ſed dedecus orbem
Peruolat, & Fauſta narrat vbiq; rogos.
Exarſi inceſta Veneris ſalamandra; fauillæ
Nunc etiam cineres raca ſub antra vorant.
Sola nouercales volui contemnere leges:
Criſpum amo. ſed tandem vera nouerca fui.
Mortem amor hic peperit geminam, mox occidit ipſe,
Funeraq; inſolito trina in amore tuli.
Inde nec irata, nec amanti crede nouercæ:
Tantum ſæuit amor, ſæuiet ira minùs?

HORATIVS SOROREM INTEREMPTVRVS.

QVISQVIS *in hoſtili lacrymatur morte parumper,*
Hic ſua ſanguineis fata gemet lacrymis.
Hoſtis amor, Patriæ eſt odium; dolor hoſte perempto,
Eſt dolor incolumi (nónne pudet?) Patriâ;
Quid gemis, & thalami nondũ comes, appetis vltrò
Funera funeribus conſociare tua?
Immaturus amor, matura vulnera mortis
Prouocat, & ſponſam ſponſus ad Elyſios.
Ternos hoc ferrum fratres, ferrum excipe, iunxit;
I ſoror, & ſponſo iungere cæſa tuo.

COCLES.

ARDVVS *Hetruſcas acies vmbone retundit*
Solus, & indomitas ſuſtinet vſque manus.
Jte quibus premitur numeroſo milite mundus;
Quærite non quotus, at quantus in arma ruat.
Quantus erat Cocles? neſcis? hinc diſce, quòd vrbem
Immenſam clypei contegit orbe ſui.

E FLAGITIO FLAGITIVM.

ARDET *amans Paris, & flammas vomit improbus hoſpes;*
Arſit at in Paridis Troia cremata rogis.
Euolat è Troiæ flammis ſcintilla ſuperſtes
Aeneas; Dido hanc neſcia corde fouet.
Protinus erumpens famam populatur & aulam:
Mox Reginæ etiam candida membra vorat.
Sic ſcelerum ramoſa lues, ſic ignis ab igne
Creſcit, & alternant probra nefanda vices.
Comprime creſcentem maleſano in corde fauillam,
Ne cinere, ah, grandem corde flagrante premas.

CLYTVS HISTORICVS.

PRODIGVS *in laudes Clytus quo plenior auro eſt,*
Venali ingenium digerit arte ſuum.

Sic

Digitized by Google

Sic lucem hiſtoria offuſi iubar occulit auri,
Solis vt exoriens occulit aſtra nitor.
Aureus eſt calamis, eſt aureus atramento:
Scripta negat ſi quis aurea, plumbeus eſt.

SEMIRAMIS.

FORTE *incompoſitos dum digerit ordine crines,*
Criſpos vibratis dumq́ implicat orbibus orbes
Femina, cui Babylon corde eſt regnata virili,
Dura Semiramius voluebat prælia miles:
Irreligata comas, tractuq́ horrenda micante
Adfuit, & tantos compeſcuit ore tumultus,
Crine ferox trepido, tenueſq́ micante per auras.
Sic formidatus purum per inane Cometes
Prodigiale rubet, crines flammatus iniquos.
Incomptam ſic Regna decent; ſi compta fuiſſet,
Forſitan incompto iacuiſſet cæſa tumultu.

EADEM.

COMPTA *Phrygē ſequitur proles Ledæa maritū;*
Diruit at Troiam, compoſitóſque lares.
Aſt incompta volat domitura Semiramis vrbem;
Et malè compoſitos ſub tua iura trahit,

Crinis opus varium. Nunc ite, & fidite Regnis,
Dum tremit exili pendula crine ſalus.

CYRI CAPVT IN VTRE.

ARIDA *quæ ſiccas exaſperat improbe fauces*
Cyre ſitis, tanti fluminis optat aquas.
Lurida ſanguineis exundant fluctibus ora;
Jam bibe naufragijs apta fluenta tuis.

IDEM.

SANGVIS *alit vitam, viuax eſt ſanguinis humor;*
Num Cyrum Tomyri viuere iniqua cupis?
Demetis enſe caput, vitam non eripis hoſti?
Eripis? in vita cur natat amne caput?
Iam rurſus viget, atque animam de ſanguine ducit;
Iam fremit, & ſauus bella pauenda tonat.
Fallimur, illecebris Tomyris namque implicat hoſtem:
Viuat, & optato in ſanguine ſemper erit.

IDEM.

FLVCTVAT *in medio caput à ceruice reuulſum*
Sanguine, purpureas nec tamen haurit aquas.
Et quamuis ſitis alta voret præcordia, quamuis
Ingerat optatus viua fluenta cruor;

In

Digitized by Google

In medijs ſitit ille vadis, potumq́ recuſat,
Sentit & in vita flumine mortis onus.
Tantale quid quereris fugientia munera lymphæ,
Si Cyro ingeſtus ſit noua pœna liquor?

B R V T V S.

DVM *librat dominas Natorum in colla ſecures,*
Sponte ſibi Patris nomina amata rapit.
Patria ſuccedit Natis; ſunt funera tanti:
Olim Natorum, nunc Patriæ Pater eſt.

MILES LVSITANVS.

Ex Maffeio.

AESTVAT *hoſtili vallatus ab agmine miles,*
Dū premitur numero victus, & arma cupit.
Anne ſibi hoc, dixit, voluit fortuna licere?
Scilicet illa mihi Martis ademit opem?
Ira ingens telum eſt; irâ ſtimulante, miniſter
Dens vitæ, mortis vulnera dura geret.
Sic ait; & dentem decuſſum vibrat in hoſtem,
Dente minor, tantis maximus exuuijs.
Dens flammis permiſtus abit; thalamoſq́ latentes
Pectoris, & vitæ depopulatur opes.

Diſce

Digitized by Google

Diſce quid ira queat; pectus commutat in Aetnam,
Et vomit ore feros lata per arua globos.

TARPEIA.

PACTA *aurum, Romam prodit Tarpeia Sabinis:*
Illam auro hoſtilis conterit inde furor.
Fata Midæ cerno, optato moreretur vt auro,
Pauper & aggeſtas cerneret Irus opes.
Aurum etiam ferit; innocuum hîc abſoluite ferrum;
Tarpeiam auratâ cuſpide tela necant.
Sed pretioſa tamen mors eſt, pretioſior vrna;
Auro obit, atque auro contumulata iacet.

IVNII BRVTI TVMVLVS.

HIC *iacet aſſertor Patriæ, vindexq; Pudoris*
Brutus, & hinc Patriæ iura ſepultus agit.
Numquam obijt, nam fama viris ſic ampliat æuum,
Vt nequeant, quamuis morte furente, mori.
Vt Patriam ſenſit pulſis dormire Tyrannis,
Antè vigil, ſomno lumina victa dedit.
Quid loqueris Cæſar? voces compeſce minantes.
Excitus en rurſum Brutus in arma ruit.
Scilicet hoc fixum eſt: dabitis dum fata Tyrannum,
Qui ſua commendet ſæcula Brutus erit.

ANNI-

ANNIBALIS TVMVLVS.

ANNIBAL *hîc ſitus eſt: cineres venerare viator,*
Dum legis inuicti nomina tanta Ducis.
Arduus Italiæ ſuperauit mœnia, quamuis
Naturæ ſtarent imperioſa manu.
Pectoris igne niues, prǽruptas robore cautes
Vicit, & obiectas, ſaxa ſuperba, moras.
Cælum animis, hoſtes armis, elementa labore
Fregit, & Italiæ libera colla iugo.
Aeternus potuit per mille pericla videri;
Vincere ſe tantùm ni potuiſſet, erat.
Poſtquam alios vicit, dirâ ſe morte peremit;
Et fuit ipſe ferox Annibal Annibali.

CATONIS VTICENSIS TVMVLVS.

LIBERA *magnanimi complectitur oſſa Catonis*
Vrna; quid hoc maius nomine Roma dedit?
Hoſtili non enſe cadit, non Cæſaris irâ;
Deberi hæc ſeruis turpia fata putat,
Corporis aſt nexus anima indignata reſoluit,
Liberaq́ antiquo è carcere ſponte volat.
Oſſa nec arctari tumulo pateretur, in vrnâ
Stent quamquam vinclis membra ſoluta ſuis:

G *Sed*

Sed timet ingrata ne labe tyrannidis oſſa
Tabeſcant, famulos iacta per urbis agros.
Ergo ſponte latet, libertatemq; tuetur,
Et libertatis Regia ſit tumulus.

CAESAR.

ET *gladio & calamo Cæſar famæ ampliat aeuum:*
Fulgurat hinc doctus, ſtrenuus inde tonat.
Dat calamus vitam, gladius quibus abſtulit annos,
Nomina dum calamus tempus in omne notat.
Quiſque ſub hoc gladio morituros proijcit annos,
Inde ſub hoc calamo ſæcula longa trahit.
Debuit hoc calamo gladius clareſcere, rurſum
Hoc gladio calamus ritè colendus erat.
Cæſaris eloquium debetur Cæſaris armis,
Eloquium haud aliud Cæſaris arma capit.
Cæſaris eloquio debentur Cæſaris arma,
Haud alia explerent Cæſaris eloquium.
Ite Duces, qui magna agitis; qui ſcribitis, ite
Hiſtorici: & facere & ſcribere, Cæſareum eſt.

CATI-

Digitized by Google

CATILINA SOCIOS CONIVRATIONIS ALLOQVITVR.

FIDA *cohors, habitura meæ conſortia palmæ,*
Cymbia ſanguineo ſume opulenta mero.
Hæc tibi verus amor medio de corde propinat:
Deſpice fumoſis clauſa Falerna cadis.
Jlla etenim vitis populatus vinitor vuas
Exprimit, hæc vitæ ſunt alimenta meæ.
Si bibis hæc, partem Catilinæ neſcius hauris.
Rumpere quis poterit fœdera tanta furor?
Pugnabis? gladios in te Catilina rotabit.
Vinces? hoſtili in funere teſtis ero.
Noſter erit ſanguis, fera ſi cruor imbuet arma,
Nec tua confoſſo in pectore vita cadet.
Namque tuum noſtro ſpirabit ſanguine pectus;
In te ſolus ego tela cruenta feram.
Mentior; irarum cruor hic incendia iactat:
Sentiet Auſonidum perfida turba faces.
I cruor, & ſocios Catilinæ ardoribus exple,
Atque meo flagrent corda aliena rogo.
Pocula Roma vide: ſitis his accenditur, amnes
O quales Latij ſanguinis enſe bibam!

PRO
ALEXANDRO CARDINALI
ESTENSI

In Hiſpanias per hiemem ſoluente,

AD BOREAM.

O QVI niuali barbarus aëris
Sæuis Tyrannus vellere, turbines
Compeſce raucos, & minantis
Claßica comprimito furoris:
Procul rigentis vincula marmoris
Iniurioſi verbere flaminis
Conſtringe, celſo ſiue in Hæmo
Ore niues operoſiore
Compone; Princeps donec Iberiæ
Regnum capeſſat, tectaq́; vertice
Cognata cœlo, quæ PHILIPPO
Rege tument habitata magno.
Princeps ſeueri neſcius ingenî,
Et fraudulenti pectoris inſolens,
Non debet aurarum duello
Ludibrium malè pertinaci:
Inſanientem nec Boream decet,
Regalis iram flaminis in leues

Triuiſſe

Triuiſſe bacchantem tumultus;
Sit famulis ea cura ventis.
Longè tonanti murmure tu polos
Luctatus Auſtris concute fratribus,
Vel mugientes volue fluctus
Arbiter imperioſus vndæ:
Manes vel imos ſollicitet fragor,
Concuſſus orbis dum gemit; arduas
Vel montium confringe frontes,
Robora concutiens vetuſta.
Aſt purpurantis Principis ambiant
Latus minori flamina murmure;
Cælumq́ contractum, algidúmque,
Degeneres Zephyri laceſſant.

AD MAFFEIVM CARDINALEM BARBERINVM.

O QVÆ *canori culmina verticis*
Cognata cælo Calliope colis,
Deſcende, Maffeius tacentem
Dum meritis citharam laceſſit.
Tecum loquaces ſollicitet fides
Dudum quieto dextra ſilentio

Aſſueta; te nil dulce noſtrum
Ingenium parit abnuente.
Virtus beatum ſit pretium ſibi,
Nec mutuatâ luce renideat;
Nec fabuloſis quærat aſtris,
Clara ſatis, numerum addidiſſe.
Tamen niteſcit murice pulchriùs,
Auroq́; fulget; gemma velut iubar
Exertat inſuetum; ambiente
Splendidior melioŕq; ab auro.
Et Muſa docto ſidera vertice,
Pannoſa quamuis, lucida tangere
Poteſt; ſereno verùm ab oſtro
Ducit opes animoſáq; diues.
Teſtis vetuſti nobilis Imperî
Alumna, Regum tacta manu fides,
Cùm Cæſarum vatumq́; crines
Laurea frons eadem impediuit.
Fecunda poſtquam ſæcula criminum
Auro incubarunt, occidit, occidit
Aetas Auorum, pertinaci
Docta animum ſtudio beare.
Hinc in repoſtas ardua montium
Fugit latebras Muſa virentium;

Faſti-

Faſtidioſis pulſa ab aulis
Deſeruit genus immerentum.
PRINCEPS *Latino murice fulgurans*
MAFFEIVS *altis deuocat è iugis*
Muſam exulantem, purpuraq́;
Auget opes pretiumq́; Pindi.
Rurſuſq́; in aulis carmina perſtrepunt,
Audita quondam ſub Ioue frigido,
Et ſimplices ducunt choreas
Agmina Pieridum per alta, &
Protrita fraudis lumina ſaltibus.
O viue ſemper, cui geminus comas
Honor præumbrat; cui dat oſtrum,
Muſa ſimul decus inuidendum.

AD
ALOYSIVM CARD. CAPPONIVM
BONON. LEGATVM,
De Italiæ tumultibus.

SIC *obſtinato prælia ſanguine*
Malè æſtuabunt? Italus, Italus,
Cognata demeſſus per arma
Sic patrio cadet ictus enſe?

Sic

Sic occupatas ſeditionibus
Vrbes rotabit turbine Mulciber?
Plagæ cruentas ſic natabunt,
Imperijs grauidæ, per vndas?
Formidoloſis agmina claßicis
Mortem excitarunt; illa perambulat
Campos cadentum tabe pingues,
Italiæ nece purpurantes.
Inauſpicatos tranſtulit impetus
Mauors Getarum, ſæuit in Italos
Aſſueta bellis efferare
Indomitos rabies Triones.
O tandem olympi è margine labere
P A X, *florulentis aurea crinibus,*
Secura mundi ſoſpitatrix,
Cordis amor, requies laborum.
Tecum procellis imperet improbis
Qui frena docta mitia Felſinæ
Tractat benignus, cui Latina
Vitta comam obſequioſa lambit.
Qui peruicacis prælia pectoris
Virtute frangit celſior arduâ,
Qui mulcet imbelles tumultus,
Atq; animum ſine clade vincit;

Hic

Digitized by Google

Hic prælìantum corda furoribus
Regnata flectet, Martis inhoſpitos,
Pacis ſequeſter, temperabit
Italiæ columen dolores.
Auita crines mordet adorea
CAPPONIORVM *tradita poſteris,*
Tumultuoſo qua labantem
Reſtituit patriam duello.
Arnus minaci territus impetu
Exhauſit vndas luridus aureas,
Ne fortè Tyrrhenum per æquor
Sanguineum veheret tributum.
Hinc ciuium ardor CANDIDA *ſuſtulit*
Vexilla ad auras, ſigna NIGRANTIA
Hinc explicauit. quis colores
Credat in exitium ruentes
Viciſsim? amicis hoſtibus hoſtia
Florens ſupinum patria decidit
Demeſſa culmum; diſsidentis
Bella vteri labefacta fleuit:
CAPPONIORVM *donec originis*
Heres, gementis vulnera patriæ
Curans, amoris fecialis
Compoſuit iubar & tenebras.

Ergo parentum teſſera te vocat
Ad arma Princeps; i, pete turbido
Diſtracta amicorum furore
Caſtra, pio violanda ferro.
Per te reſidet flamma, fugabitur
Mars, & liquabit Biſtonias niues.
Eat cruentus; vindicanti
Roma tibi titulos ſacrabit.

AVGV-

Digitized by Google

AVGVSTINI MASCARDI SILVARVM LIBER SECVNDVS.

CAMILLO MOLSÆ COMITI AMICORVM OPTIMO AVGVSTINVS MASCARDVS S.

LIBERO fidem meam, Camille Molſa amicorum optime; & Didonis morituræ querimonijs, quod me probaturum receperam, præſto. Intelligent, opinor, qui obſtinatè negabant, in argumento, lubrico illo quidem ac periculoſo, Poëtam moribus non improbum modeſtè poſſe verſari: ac nihil eſ-

Digitized by Google

ſe tam turpe, quod, vt ait ille, boni viri prudentià non ſancteſcat. Alteram delati muneris partem, cùm ſe dabit otium, abſoluam libens, & filiæ Iephte lacrymis Parnaſſi lauros atque hederas irrigabo. Tu interim vale, & me, vt humaniſſimè facis, ama.

ERYN-

Digitized by Google

ERINNYOS

SIVE

DIDONIS PRODITÆ AB ÆNEA CONQVESTIO.

ERGO-ne ventoſum claßis tranſuecta per æquor,
Ibit in Auſonias perfidioſa plagas?
Ergo etiam thalamis illuſerit aduena noſtris,
Aduena vix turpi lapſus ab igne fugâ?
Aduena quem toties indignans expuit æquor,
Credula cui Regni ſceptra gerenda dedi?
Ille feret noſtrum peregrina per oppida nomen,
Exuuijſq; meis ibit onuſta ratis?
Parce Aquilo, rogo parce rati, vehit illa pudorem;
Quâ benè femineus merce ſuperbit honor.
Dum ſpolijs pretioſa meis ſecat æquora nauis,
Deprecor, ah, tanta claſsica rauca rati.
Non freta Peliaca proſcindit filia ſilua,
Nec gerit in curuo vellera rapta ſinu.

Dardana vela vides; noſter comes additus illis
Nat pudor, heu Phrygij præda ſuperba ducis.
Si fortè ignotas, Latio procul acta, per vndas
Cymba hiſcat, vaſto diſiliatq́ ſalo;
Quâ meus, ah quondam, pudor irritus enatet alno,
Ne meliore mei naufraga parte cadam?
Manibus& quondã querulis nouus exprobret hoſpes,
Hic tuus, ô Dido, naufragus iuit honor.
Quid loquor, heu demens, aut quâ ſpe perdita nitor,
Votaq́ cùr odijs narro pudenda meis?
Carbaſa nónne vides grauidantibus incita flabris?
Illa tua, Dido, ſunt monumenta necis.
Illa fluunt refluuntq́ tui vexilla pudoris,
Transfuga quem ficto ſuſtulit ore latro.
Improba perfidiæ ſuſpendunt ſigna rudentes;
Quæq́ vehit nauem, deuehit vnda fidem.
Sic qui Cecropio tulerat ſtipendia Tauro,
Illuſit thalamis, Regia nata, tuis:
Et deuota domum retulit periuria nauis,
Altaq́ ab antennis lintea furua tulit:
Quæq́ tremunt rapti miſeranda trophæa pudoris,
Præludunt fatis, prodita nupta, tuis.
Externata malo, ſed non fruſtrà obſtrepis auris,
Frigidulóſque cies voce tremente ſonos.

Scilicet

Scilicet vt lentos incuruat gurgite remos
Theſeus, & ventis carbaſa feta tument;
Lumina perpetuis abſumens fletibus Aegeus
Deſpicit optatæ vela timenda ratis,
Et formidatum nati in ſua funera funus
Prouocat, & verum falſa pericla creant.
Vlta tuum ſaltem cecidiſti Ariadna pudorem,
Auerſáq; preces non bibit aure Deus;
Quaſq; tuis lacrymas negat oſsibus impius hoſpes,
Has, licet inuitus, patre cadente dabit:
Nec pater, infandum qui dedecus hauriat olim,
Ex Ariadnæo fure ſuperſtes erit.
At meus incolumis iam nauibus imbuit æquor
Hoſtis, & è noſtro littore victor abit.
Ergo-ne libati ſtatuet vexilla pudoris
Improbus, & Latios cernet inultus agros?
Dicar ego extincti thalamum temeraſſe Sichæi?
Dicar, vt heu noſtris rideat ille probris?
Dicar, vt Auſoniæ narrantis pendula ab ore
Illudant tacitæ crimina tanta nurus?
Aeſtuet ah potiùs conuulſa per æquora claſsis,
Et fera periuros obruat vnda Phrygas.
Naufragium quid inane meo formido pudori?
Iam periit ſcopulo, quo perit acta fides.

O quoties

O quoties ſcopulum tepido ſuſpiria vento,
Et fletus quoties contudit vnda mei?
Efferus ille tamen, veluti Marpeſia cautes,
Perſtitit in rabidis imperioſus aquis.
Ille gerit cautes, ſcopuloſq; in corde latentes,
Qui potuit lacrymis non lacrymare meis.
Cæcus amor fratrem non implacabile ſaxum
Credidit, & noſtrum per mare rexit iter.
Protinus alliſus perijt pudor impete vaſto,
Naufraga cum ſocio eſt iuncta pudore fides.
Ergo nihil ſupereſt: furialia claſsica venti
Sumite, contorto turbine tela fremant.
Quid magis exoptem, vt ſceleris veſtigia noſtri
Non relegat ſerus poſt mea fata nepos?
In mediâ ſcribantur aquâ, fractiſq; carinis
Fluctuet inſtabili littera ducta ſalo.
Littera ſed quid erit? miſera veſtigia flammæ,
Quæ ſtatuet medio fracta carina mari.
Monſtrum ingens, fax ſcripta in aquis: dabit vnda (lituram,
Nec feret æternas per vada ſalſa faces.
Ergo Aquilo freta contorque, maris vnda dehiſcat,
Rurſus & impatiens ſidera ad alta volet.
Si tuus aduerſis ſolitus concurrere ventis,
Montis & impoſiti frangere clauſtra furor,

Neſcit

Neſcit in Aeneam rapidis ſæuire procellis,
Si mare multantes voluere neſcit aquas;
Suſpirans cor ventorum auxiliare tributum
Pendit, & ex oculis labitur vnda meis:
Hæc pontum ſternet; calidis ſuſpiria flabris
Ponti concutient æquora fuſa oculis.
Nauiget hac prædo; ſed amantibus obrutus vndis,
Moribus inficiet dulcia fata ſuis.
Forſitan, aut fallor, lacrymis animabo carinas,
Errabitq; meo Troica nympha lacu;
Aut potiùs Siren mœſtum queribunda per æquor
Conciet in lacrymas corda proterua Phrygis.
Decipior, tempuſq; tero; tibi Dardane prædo,
Imprecor, irati ventus & vnda ruant.
Mox vbi concidero violato ſancta Pudori
Victima, & abluerit probra nefanda cruor,
Ipſa vltrix adero; læſo furibundus ab ore
Spiritus erumpens perfida lina ruet;
Pectus & iratos iaciens è vulnere fluctus,
Obruet inſano Troica ligna freto.
Ipſa vltrix adero; viuoq; ſub æquore viuens,
Scylla ferox Phrygibus, vaſta Charybdis ero.

ELEGIA SECVNDA.

SANCTE *Pudor, Pudor heu facibus temerate mari-*
Quas malè nubenti ſuſtulit alter Hymen: (tis,
Accipe quæ fundit tibi verba nouiſſima Dido,
Dum parat inferias ſanguinolenta ſuas:
Parce precor ſaltem moritura, parce luenti
Morte, quod admiſit vita pudenda nefas.
Sat vixi, dum vita fuit ſociata pudori;
Altera ab alterius neſcit abeſſe ſinu.
Victima debuerat tibi iam cecidiſſe libido;
Floreret fato vita pudorq́ pari.
Tu numen, pectus templum, cor ſancta fuiſſet
Ara, fides ferrum, funeris auctor honor.
Me miſeram! non ara ſacris, aſt area bello
Cor fuit, & validas ſenſit in arma manus:
Senſit & antiquo deiectum culmine Regem,
Et non legitimi Principis arma tulit.
Scilicet in ſolio cordis Pudor arduus olim
Conſtitit, & rexit Regna pudicitia.
Caſta verecundas pingebat purpura malas,
Cingere quæ ſolita eſt regia membra chlamys.
Alba coronatos mordebant lilia crines,
Famæ lecta manu, conſita honoris agro.

Si qua meas fureret per venas flamma rebelles,
Compreſsit Princeps bella proterua Pudor.
At poſtquam edomuit iam bella domeſtica ſceptris,
Munit ab hoſtili mœnia prima metu;
Et Regni fines rigido cuſtode tuetur,
Ne via finitimis hoſtibus vlla foret.
Inde oculos locat in ſpeculis, pro mœnibus aures,
Clauſa hoſti vt ſeruent limina peruigiles.
Arcem quiq; fremit debellaturus Iarbas,
Miſcuit incaſsùm viribus ille dolos:
Si loquitur, vox victa cadit; ſi blandiùs orat,
Fruſtrà orat; fruſtrà congerit arte minas:
Si lacrymat (lacrymæ quid non potuiſtis amantum?)
Labitur è cupidis irrita gutta oculis.
Præteriti decus altum æui ſtant caſtra Pudoris,
Nec tremefacta minis, nec temerata prece.
Sed quid non cernat, quamuis ſine luce, Cupido?
Et quid non poſsit, ſit licet ille puer?
Argus ad exitium, validuſq; ad damna Typhœus,
Et videt, & vincit regna Pudoris Amor.
Ille aditus cordis molles ſpeculator oberrat,
Metitur vires, ingeniúmque loci:
Et quà prona patent Hymenæo caſtra pudico,
Admouet innocuas & ſine fraude manus.

Tros venit Aeneas, terris agitatus & vndis,
Errantéſque gerit dura per arma Deos:
Excipitur, Priamíque necem, Troiámque labantem
Narrat, & vxoris fata gemenda ſuæ:
Nuntia tum pietas inimici dulcis amoris
Arietat ignotâ corda pudica face;
Et licet obſtaret primi reuerentia lecti,
Attamen ignaro in pectore vulnus alo.
Si gemit ille, gemo; queritur ſi crimina Graiûm,
Ipſa etiam Graiûm crimina tanta queror.
Suſpirat, noſtro erumpunt ſuſpiria corde;
Si lacrymat, lacrymis proluo mœſta genas.
Si rogat Anchiſem, Anchiſem mea vota fatigant;
Si dolet ereptâ coniuge, Eliſa dolet.
Si furit in Danaos, Danaos ego vulnere figo;
Sanguineus ſpargit tela, cruentor ego.
Dediſco proprios, alienos diſco furores,
Femina femineo grandior ingenio.
Tum cor amat, dixi, ſunt hæc veſtigia amoris:
Ille ſuâ alternat callidus arte vices.
Protinus ingenuum ſuffundo per ora ruborem,
Priſtináque in pauido pectore bella nouo.
Anna ſed (inſano ſoror heu crudelior hoſte!)
Ventilat indomitas, corde micante, faces.

Illa

Illa meo primùm deiecit ab ore ruborem;
Hoſtibus illa prior credula rexit iter.
Deduxit tacitis Hymenæum paſsibus Anna;
Improbus at rabidi frater amoris erat.
Anna ſoror, ſoror Anna, meis cur hoſtibus arcem
Prodis, & heu fœdus ſeditione feris?
Quas clades miſeranda gemes, quæ fata ſororis,
Vt tua fœdabis vnguibus ora ſoror?
Senſit & hoc cælum, lacrymaſq; effudit in auras,
Juſsit & atrato ſole meare diem.
O vtinam ſubitam traxiſſent antra ruinam,
Cùm nos imbriferens egit in antra furor;
Victima regnanti cecidiſſem caſta Pudori,
Victima diuinis inuidioſa focis:
Aut mecum ſceleris iam fama ſepulta iaceret,
Obrutáque ingenti pondere tuta forem.
Dijs aliter viſum: Regno te extrudit auito,
Sancte Pudor, flammis imperioſus Amor.
Tu fugis, & fugiens diſiecta per arua ſuſurros
Mille ſeris, noſtrum pandis vbique nefas.
Ah tandem iam pone modum, iam parce querelis;
Sufficiat vultus immaduiſſe meos.
Si fremis, vltores iamdudum & concipis enſes,
Si ſedanda meo eſt longa cruore ſitis;

Mortem opto: mortemq́; dabit mea dextera, crede.
Heu quid ago? ah potiùs conſice corda Pudor.
Laſe Pudor, miſera ferrum tu ſufficis vnus,
Et dura cauſſam mortis inermis habes.
Sed propriâ cadat vſa manu mœſtiſſima Dido,
Vindicet vt propriâ crimina dira manu.
Illa tuo interimat regnantem in corde Tyrannum,
Et pereat tantis diues ab exuuijs.
Ibo, ibo, ferroq́; meo rimabor amorem;
Quis ſcit an & ferro Numina victa cadant?
Te quodcumque meo ſedes in corde ſuperbas
Numen habes, Dido ſanguinolenta vocat;
Jn tumulum ſolium vertens, in funera Regnum,
Victrix victoris viuet in exequijs.
At tu ſancte Pudor, noſtro iam paſcere fato,
Dum lauat effuſus probra nefanda cruor.

ELEGIA TERTIA.

ITE *animæ pars magna meæ ſuſpiria cordis,*
Ite per Elyſias irrequieta plagas;
Ite, meas narrate faces, narrate dolores,
Auræ vicini funeris ite duces.
Eſt nemus vmbriferum, miſerorũ carcer amantum,
Silua quod obliquo myrtea crine ſecat.

Alpheus

Alpheus querulis hanc præterlabitur vndis,
Semper & irati flumina fontis amat.
Narciſſus vitreo ſe ſpectat amator in amne,
Et quibus, ah, perijt creſcere diſcit aquis.
Errabunda colit latebras reſonabilis Echo,
Reddit & incerto credita verba ſono.
Fortè per vmbroſam curarum examina ſiluam
Coniugis heu miſeri flebilis vmbra trahet.
Ite animæ pars magna meæ ſuſpiria cordis,
Ite per Elyſias irrequieta plagas.
Quis ſcit an occurrat ſecreto in calle Sichæus
Squalidus, & fratris vulnera nota gerens?
Si non occurret, querulos impellite ramos,
Mœſtaq; frondoſis ingemat aura comis;
Protinus agnoſcet legatam coniugis auram,
Protinus excipiet feruida flabra ſinu.
Si non excipiet, lymphas tum fontis amantes
Conſulite, & tremulas fluminis ite vias.
O te ſic numquam fugiens Arethuſa ſequacem
Temperet ardentes pectoris amne rogos;
Atque faces in aquis proprio non igne calentes
Mitiget haud proprijs fons fugitiuus aquis.
Qua meus, ah coniux quondam meus, arua pererret,
Qua colat, ah, ſilua myrtea tecta doce:

Ne

Ne ſuſpirantis ſoboles temeraria cordis
Peruolet incaſsùm veſtra per arua diu.
Sic ego, cùm noſtri ſub terras ibit imago,
Hoſpita cùm ſiluas & nemora alta colam,
Grata feram fluuio lacrymis vectigal aquarum,
Et tuus è noſtro flumine creſcet honor.
Ite animæ pars magna mea ſuſpiria cordis,
Ite per Elyſias irrequieta plagas.
Oſcula Narciſſo iubeo libetis odora,
Ille mei forſan nouerit arua viri.
Auræ, lugentes auræ, ſociate ſuſurros,
Et Floris foueant murmura veſtra comas:
Quà meus erret amor ſilua per opaca docebit,
Monſtrabitq́; viam quà meus erret amor.
Se ſic inuentum inueniat, teneatq́; tenentem,
Sic ſe poßideat ſemper amatus amans.
Ite animæ pars magna mea ſuſpiria cordis,
Ite per Elyſias irrequieta plagas.
Sed meliùs poterit vocalis Nympha Sichæum
Prodere, per virides illa vagatur agros.
Ipſam ergo inclament veſtri, ô ſuſpiria, venti;
Illa imperfectos reddet amica modos.
Myrtea, dicetis, num tecta Sichæus oberrat?
Errat, inexpleto ſabitur illa ſono.

Sed

Sed quò carpit iter, vel quà nos tendimus illuc?
Huc, referet dubiæ conſcia Virgo viæ.
Coniugis ánne ſuæ ſatis eſt memor? Eſt memor, Echo
Dicet, nam ſemper vixit amantis amans.
Poſſumus affari? Fari ingeminabit & Echo.
Num plorare licet? reddet & ipſa, Licet.
Sed quæ cauſſa, ſimul cur non coëamus? Eamus,
Vox referet veſtræ Dux propè facta viæ.
Ite animæ pars magna meæ ſuſpiria cordis,
Ite per Elyſias irrequieta plagas.
Ilicet ah mœſti volitate per ora Sichai,
Et fugientem animam ferte ſub ora viri.
Dicite, ſam iam aderit Dido tua plena pudoris;
Occidet heu propria vulnere fixa manus.
Audiuit ſonitum ſacratâ ex æde vocantis,
Iamq́; venit ſceleris tarda pudore ſui.
Errauit, faſſa eſt crimen; ſed idoneus auctor
Decipiens, noxæ detrahit inuidiam.
Adde fidem Aeneæ, fuerit quâ parte pigendus?
Errandum fuerit, error honeſtus erit.
Quid iuuat, heu demens, ſcelus excuſaſſe nefandum?
Quídve latere cupis crimina læſe Pudor?
Errati, errati, nulla eſt erroris honeſtas;
Coniugis ah pœnas exige lente dolor.

K *Errati,*

Erraui, læſus Pudor eſt, læſuſq; Sichæus:
Erraui, & ſanctum prodidi iniqua torum.
Ipſe rubor fruſtrà malis iam multus inerrans
Sanguine funeſtum ſcribit in ore nefas.
Olim abijt pulſus, traxitq; ad corda cruorem,
Vt mage ſanguineo in corde caleret amor:
Nunc redit in vultus, cordiſq; cubilia linquit,
Vt demum incipiant frigida corda mori.
Frigida corda mori multo ſine ſanguine nollem;
Sanguis abi, & cordis perflue caſtra mei.
Iam ferro veniam cordis bibitura cruorem,
Abluet expreſſus arma ſinuſq; liquor.
Erraui, ô furias malè ſanâ in mente rebelles!
Erraui, ô cæcas pectoris vſque faces!
Prodere ten' potui thalami comitemq; laborum,
Optaram quondam quo moriente mori?
Ferret vt in terras alieno ſole calentes
Probra, peregrinis perfidus hoſpes aquis?
Ten' potui Phrygio, ten' poſthabuiſſe latroni;
Quo pereunte, hoſtis vel mihi frater erat?
O mea vel ſæuis lacrymanda piacula Parthis!
O mea vel Stygio facta pudenda Deo!
Quid faciam? quo fonte ſcelus, quo flumine tollam?
Ni fluat è noſtro flumine, fonte, cruor?

Vota

Digitized by Google

Vota mori mea ſunt: huc huc violate Sichae,
Infelicem animam vulnere conde tuo.
Vt quos certus amor (dubium facit impius hoſpes)
Iunxit, in Elyſijs iungat & vna fides.
Tecum ego ferales, infelix vmbra, per vmbras
Ducam perpetuas, ſed ſine luce, dies.
Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Sparge comâ extremam nobiliore diem.
Si tua, dum ſceleris furerent contagia primi,
Lumina præradians occuluere iubar;
Improba connubÿ forſan ne vincla viderent,
Vincla catenatam quæ rapuere animam;
Nunc mea dum ſceleris delet contagia dextra,
Teſtis honorato in funere Phœbe veni.
Tuq; enſis, manibus dudum quem tracto malignis,
Duritiem à Domino diſce cruente tuo.
Scilicet hunc linquit? danda hæc ſunt munera nuptis?
Num timet ingratas ne grauet ille rates?
Jam mortis cauſſam dederat, nunc tela miniſtrat:
Non poteram telis fortè perire meis?
Sed dedit, accipio, munuſq; in corde reponam.
Noſtra quid exhorres vulnera lenta manus?
Enſis abi, in medio Aeneæ ſtat cordis imago,
Excute vulneribus ſigna ſceleſta meis.

Tuq; pyra, immitis quam flamma cupidinis ambit,
Vre notas fama, pectoris vre faces.
Deficio; iam ſauit atrox à vulnere funus,
Iamq; graues oculos lurida Parca premit.
Ite anima pars magna mea, diſpellite claſſem:
Ito anima, indignans perfida ligna quate.
Didonem perijſſe ſciat, perijſſe queratur,
Dum gemet vndantes per freta ſaua rates.

V E R.

AD FRANCISCVM BARBERINVM.

QVID *tantum mea plectra ſilent, eboriſq; canori*
Fila tacent, nondum digito explorata micanti?
Aonius quid ceſſat honor, ſcatebraq; loquacis
Pura repercuſſo quid non fugit vnda fragore?
Cernis, vt in varios pubeſcit Dadala partus
Terra parens, laudiſq; ſua monumenta reponens
Pingit odoratis florum ſua geſta labellis?
Liliáque irriguis argentea dum fouet hortis,
Muta ſua extrudit folijs praconia laudis?
Tu tamen ah nondum plectro exoptata ſonanti

Digitized by Google

Dextera ades Clio, nemoroſáque rura relinquis.
Sed quid ego Aonidum vocalem è fontibus vndam,
Numináque arceſſo montes agitantia thyrſo?
Te ſequor ô Veris tempeſtas florida, amorum
Mater, & amiſſæ reparatrix cara iuuentæ:
Quâ duce prata virent, ſenio quâ præſide tellus
Candida, lactentes rurſus puerascit in herbas,
Funeris atque ſui cineres ex igne ſuperſtes
Frigoris, in priſcos operoſa recolligit vſus;
Et ſibi iam ſenio effetæ, ac niuibus morienti
Succedit iuuenis, partúſque datura recentes,
Alitis in morem, præbet cui pabula Titan.
Tu mihi te dignum, mentíſque capacius altæ,
Et numeris animatum alijs, & amabile carmen
Suggere, quod Veris priſcos inſtauret honores.
Te canimus, tibi ludit ebur, tibi fila coruſcant.
Si tibi pictarum turba officioſa volucrum,
Spiritibus vegetata tuis, vectigal amœna
Vocis, in argutos impendit garrula cantus,
Non intellecto modulans tua facta ſuſurro;
Si tibi diductis gemmantes floribus horti,
Ora tot in Veris laudem ambitioſa reſoluunt,
Quot tibi diſcludunt violato ceſpite gemmas;
Si tuba ſit Veris frondes effuſa comantes

Arbor, & hirſuto trudens ſua germina libro;
Te ſileat deſpecta chelys? Salue aurea cæli
Temperies, mundíque vigor, terraq́ue iuuenta;
Atque renaſcentis genitrix felicior anni,
Anni Aurora noui ſalue, quâ terra rubente
Diſcolor Aurora nitet inuidioſa comanti.
Namq́ue vbi venturi graditur prænuntia Solis
Purpureas impexa comas, roſeóque flagello
Sidera regnato latè diſpellit olympo,
Pallida tabeſcunt, ac lucida tela diei
Prona reformidant, Phœbum patrémq́ue tyrannúmq́ue
Auerſata ſuum, lacrymas fugientia roris
Demittunt, auráſq́ue ſua in ſuſpiria cogunt:
At tua dum meliùs lux aurea purpurat ore,
Ver orbis Matuta noui, tunc prata renident
Pulchriùs, & noſtris adoleſcunt ſidera campis:
Lacryma ſi tenues irrorat vitrea frondes,
Cogitur in gemmam pretioſum pondus in hortis,
Et florum diſperſa comis argentea fulget,
Et Natura rubet, gemmam dum gemma coronat;
At ſi florenti populo leuis adſtrepit aura,
Blanda fouet flores, atque oſcula libat odora.
Ergo iterùm ſalue tempeſtas nuntia pacis,
Horrida quæ Zephyro componens auſpice bella,

Mollia

Mollia tranquillum vi cogis in otia cælum,
Dulciaq́; inſtauras ridentibus otia terris.
Scilicet immanis dum cæli detonat ira,
Et tempeſtatum glomeratur in aëre turbo,
Frigida concreta iaculantur ſpicula nubes,
Aſpera bacchantes contorquent ſpicula Cauri,
Nix terris inimica ruit, gladióq; ſilente
Lancinat agricolæ iam pubeſcentia vota;
Pignora quot terræ, cæli penetrabilis ira
Excutit, atque aruis latè graſſatur apertis?
Mox hiemis ſinuata volant vexilla per auras,
Quæ tandem terris ſtatuit ſua ſigna ſubactis.
Infelix mater, tantis iam viribus impar,
Concreſcit, firmátq; humeros, hiemíſq; ſuperbæ
Ferre iugum, ac dominis diſcit parere pruinis:
Pignora ſed ſuperas iam iam eruptura ſub auras
Comprimit, inq́; ſinu claudit tremefacta profundo;
Parca priùs ſoboli quàm mater, & antè ſepulchrum
Quàm cunæ, ſed Parca fouens, vitale ſepulchrum.
Intereà tu bella tonas, hieméмq; nigrantem
Ver agis in latebras, pellíſque tyrannidis iras,
Et roſeum inſtructis perluſtrans arua quadrigis
Pacatas reuehis poſt aſpera prælia luces:
Protinus alipedes blando cum murmure venti

Gramina

Digitized by Google

Gramina ſollicitant, ludúntque per arua tepentes;
Venturíque hilares teſtantur Veris honores,
Deuictámque hiemem referunt, pulſumq́; timorem.
At Zephyrus volitans, interpres pacis, & auſpex,
Indicat attonitæ redeuntia gaudia terræ,
Seminecéſque roſas, latebríſque occulta profundis
Lilia, purpureas iam cæli educit ad auras,
Victrices pictura comas & tempora Veris.
Ilicet erumpunt terræ de viſcere flores;
Atque vbi torpenti candebant prata pruinâ,
Terræ oculus, cæli liuor, roſa purpurat ardens,
Et regina ſuum veſtit pretioſa tribunal,
Flaua coronatæ iactans incendia frontis.
Frondibus obuallat ſedem, dumóſque rigentes
Armat in excubias, populo quo iura minori
Tuta ferat, floréſque ſuos tranſcribat in vſus:
Cingitur hinc Princeps, denſóque ſatellite florum
Emicat, & teneros iacit ambitioſa capillos;
Inuidioſa aſtris, Auroræ lumen, Olympi
Gloria, Veris honos, & viuax pompa colorum.
Namque vbi ſidereis adoleſcens incipit aruis
Oſtentare roſas, quibus aurea tempora cingit
Phœbi Aurora parens, fugiunt, radióſque reſorbent
Sidera, ne roſeis hebetentur lumina malis:

Tu

Digitized by Google

Tu quoque Ver genitor, tantum cui filia debet
Ornatum roſa, dum famulus tibi ludit in hortis,
Floribus & plaudit Zephyrus, tu flamine miſtum,
Oſcula dum libas natæ, furaris odores.
Ergo iterùm ſalue, mundi genialis origo,
Atque Deo Ver fecundum; quo terra parente
Cælumq́;, & quidquid circumfluus halitus ambit,
Quidquid & in gremio vaga continet Amphitrite,
Extitit, Aethereo referens primordia Patri:
Feta Deo, pretioſa parens, ô florea Veris
Tempeſtas mundum peperiſti ignara dolorum.
Quid iubar æternum iactas, terráſque iacentes
Deſpicis, obliquo conſpergens lumine mundum,
Cor cæli nitidum, lunæ aſtrorúmque tyrannus?
Te quoque Ver peperit, crineſq́; intexuit auro.
Terra ſoror cæli, roſa Solis, lilia Phœbes;
Turba minor florum, ſtellarum eſt edita partu;
Omnibus vna parens tempeſtas roſcida Veris:
Hinc vbi cognato ſplendeſcit vterque nitore,
Cælum terra refert humeros gemmata, capillos
Multiplici ſtellata roſâ; telluris honoram
Cælum aperit faciem, tremulis florentibus aſtris.
Ergo iterùm ſalue, Naturæ gloria ſalue.
Tu verò ô Iuuenis, cuius Ver ludit in ore,

Pingit & Aprilis ridentia pignora malis,
Cur animi impubes ſinis ah marceſcere flores?
Ingenij non gemma tumet? non purpurat hortus?
Non fouet irriguum mentis violaria flumen?
Quid tantum ceſſas iuuenum decus? i, pete ſaltem
Caſtalias FRANCISCE *roſas, teneróque capillo*
Plectere iam diſcas alieno flore corollam.

ÆSTAS.

AD CONDISCIPVLOS.

QVO *fugis, ô teneri genitrix felicior anni?*
Impubéſne roſas, viridiq; micantia culmo
Lilia, & omnigenis halantes floribus hortos
Deſeris, heu ſobolis propriiq; oblita decoris?
Lactentes cur ſæua parens tibi prodere fetus
Sic placitum, partúſq; rudes, & matris egentes
Tradere, & immiti ſic commiſiſſe nouercæ?
Siſte gradũ miſeranda parens; viden' orba comantes
Pignora vt atratâ demittunt fronte capillos?
Cernis languidulo iam iam palleſcere vultu,
Te cedente, roſam; quondam quæ prælia cælo
Indixit, maior terris, ſed non minor aſtris.
Siſte gradum, prolémque tuam tuus educet ardor,

Nutriat

Nutriat aura, iubar foueat, roreſq; maritent.
Tu tamen auerſâ votum fera negligis aure,
Et Zephyris inuecta ſuper peregrina repoſcis
Littora, quæ roſeo colluſtres lumine frontis;
Iámque tuos Aeſtas inuadit torrida fines.
Quòd ſi tantus amor noſtris diſcedere terris,
Nec precibus mutata loco ſententia cedit,
I decus, i, noſtrum, mentémque per alta ſequacem,
Atque animum liquidas tecum, Dea, tolle per auras:
Te ſequor, extremáſque colo quas Maius honeſtat
Relliquias, & Veris amo fugientis honores.
Sed quæ cauſſa fugæ, vel qui caſúſve, Deúſve
In latebras Ver impulerit, tu Diua ſonantem
Sueta animare tubâ Clio, rogo, ſuggere vati;
Namque potes meminiſſe, tuus ſi regnat Apollo.
Eſt locus, æthereis vbi Sol ſua paſcua campis
Inſtruit, & caulas reuoluto circinat orbe,
Aſtrorúmque gregem per prata nitentia ducit:
Currus inde ſui diffindens vomere cælum,
Prodigus æternæ diſpenſat ſemina lucis,
Quæ, dum conniuens oculum ſopiuit Apollo,
Immixta æthereis glebis adoleſcit, & aureas
Germinat in ſtellas, cælúmque coloribus auget;
Nocturnúmque aperit Ver, quod florentibus aſtris

Pingit, & æternos textu diſcriminat agros.
Leniter Eridanus ſtellanti flumine cælum
Irrigat, & fuſis dum ſidera ſubluit aſtris,
Ingeminat lucem, creſcitq́; in lumine lumen:
Hîc ſtellæ choreas agitant, prior Heſperus altam
Attollens flammam, ad luſum per florea prata
Aſtra vocat, noctémque ciet, ſcenámque recludit,
Quæ ſuperûm exercet cæli per gramina pompas:
Imperium hoc diuûm, nitidiq́; hæc regia Solis;
Hanc colit, hac tantùm Phœbus ſe iactat in aulâ,
Immemor Amphryſi, ſolidóq́; adamante quadrigas
Inſtruit, & famulis latè ſpatiatur in aruis,
Séque vno contentus abit, terráſque iacentes
Arduus obliquo gradiens vix deſpicit ore.
Vt picturato terram pubeſcere crine
Vidit, multipliciq́; comas vmbrare coronâ,
Floribus & variare ſinus, atque æmula cælo
Sidera florenti ſenſim conſurgere culmo,
Indoluit: noua ſed terræ miracula creſcunt:
Namque etiam aduerſo qualis traxiſſe colores
Nuntia Iunonis Phœbo ſolet, emicat Iris
Diſcolor in terris, & fœdera ſancit in hortis:
Atque adeò roſa purpurei velut æmula Solis
Fulgurat, & frontis iacit ambitioſa nitores;

Hæc

Hac veniente, minor florum grex pallet in vmbras.
Obſtupuit, ſed multa minans, & lampada quaßans,
Indignatus ait: Quæ tanta ſuperbia terram
Extulit, vt cæli deſcribat floribus aſtra;
Et ſibi iam Solémque nouum, noua ſidera fingat?
Scilicet arcemur mundo, ſua lumina tellus
In cælum conuerſa fouet, Phœbúmque recuſat:
Hanc ego. Ledæos contorquet protinus ignes,
Icariúmque canem ſoluit, qui gutture terram
Perſonat igniuomo, patriúmq; inflammat Olympum.
Herculeus furit inde labor, collúmq; ſuperbum
Aſperat in flammas, iratóque attonat ore.
Ipſe viam propiore legit Sol igneus axe,
Jamq; faces per inane volant, labentiáque aſtra
Iam ſcintillanti diffindunt nubila tractu:
Vndique graſſantur flammæ; ferus ardor vbique
Ingruit, & terram flagrantior obruit imber.
Talis, vbi inſolitas Phaëton verſauit habenas
Infelix puer, & tedis conſumptus amoris
Decidit Eridani liquidis tumulatus in vlnis,
Flamma etiam gelidas tepefecit fluminis vndas.
Arida tum primùm telluris viſcera febre
Ingemuere, ſitis fauces exaſperat ardens,
Et grauis exhauſtos contundit anhelitus artus;

Pectus hiat, denſos cæli trahit ægra vapores,
Et denſos cælo regerit maleſana vapores:
Splendor abit vultus, nitidus rubor ille genarum
Deficit, & formæ macies corrumpit honores:
Exangues ſine luce iacent in vallibus herbæ,
Pallida languenti tabeſcunt lilia fronde.
Iam venit, heu, morbo nimiùm properata ſenectus,
Et modò lactentes caneſcere cogit ariſtas:
Hinc timet extremis tellus ſuccumbere fatis,
In medio pauefacta rogo; iam iamq; crematos
Dimicat in cineres proprio moribunda ſub ictu;
Ipſa ſibi tumulus, rogus ipſa, atque ipſa cadauer.
Nec minùs Oceanum veſani ſtella leonis
Increpat, & facibus iubet exardeſcere marmor:
Tum pecus ingemuit mutum, curuumq; retorquens
Dorſum, arcum ſimulat; caudæ deìn tela bicornis
Incutit, & lymphas aduerſum vibrat in orbem,
Vt queat aſtrorum reſtinguere flumine tedas.
Verùm impar flammis vbi ſilua excreſcit in algas,
Conditur, atque vmbras captat per operta natantes
Aequora; muſcoſos Phocas agit inde per agros
Innixos ſcopulis Proteus, Soliſq; furentis
Illudit rabiem, extremis reſupinus in vndis.
Aeſtuat humenti Nereus malè tutus in aulâ,

Et

Et rurſum Phaëthontis equos, pluuiamq́ calentem
Formidat, medio admirans in flumine flammas.
Quin etiam Eliades, quondam pia turba, ſorores,
Dum metuunt inimicum imbrem, cui miſtus in æquor
Decidit, heu, patris confectus munere frater;
Diffudiſſe comas, atque obduxiſſe feruntur
Eridanum, ne fors iaculis feriantur iiſdem
Fraterni cineres, nec priſcâ in morte quieſcant:
Hinc medio natat vmbra lacu, fugit vnda ſub vmbras.
Ilicet euaſit Zephyro comitata marito
Flora parens, regnúmque ſuum, ſuaq́ arua reliquit,
Labentéſque roſas alium traduxit in orbem:
Aſt vbi Ver pulſum calidam Sol igneus egit
Sub terram; decuſſa comas, ardore dehiſcens,
Puluere ſordeſcens, viridi ſine ſanguine Tellus
Adfuit, & ſolium magni amplexata Tonantis
Turbida clamauit: Lacrymis non ora rigantur,
Summe Pater, lacrymas nam fundere poſſe negatur,
Flumina torrenti quando Sol ebibit ore.
Quis tam crudelis fatum mortalibus vmquam
Flere negat? lacrymaſq́ vetat, prohibetq́ dolorem?
Sola ego iam moriens, nimioſq́ obſeſſa per æſtus,
Excidium prolis cernens, mea viſcera flammis
Vſta dolens, priſco florum viduata decore,

Flere

Flere vetor, votúmque gemens narrare Tonanti.
Tanta-ne cæleſtes etiam coquit ira? quid ergo
Magna vocor Mater, ſuperis quíd-ve æmula regnis,
Quando etiam lacrymas, etiam ſuſpiria Phœbus
Denegat, & facibus pectus quatit aſper hiulcum?
Ille abigit ventos, miſeræ ſuſpiria terræ,
Ille bibit fontes, flentis ſolatia terræ:
Et ne vocales argutet turba volantum
Materno in leto gemitus, calúmque laceſſat;
Ipſe agit in latebras volucres, & fata minatur
Aſpera, ni teneant inimica ſilentia, Phœbus.
Vnda fluit taciturna vagis non incita ventis,
Et pede ſtagnantes pigro dat in æquora merces:
Ipſa etiam Natura gemit, facibúſque coacta
Aegrotat, queritúrque ſua diſpendia lucis:
Mundus obit, mundóque cupit migrare, ſalubres
Vt quærat ſine ſole domos, & lucis egentes.
Tu tamen, ah, Terra precibus non flecteris vllis:
Tu me confectam iaculis, quæ torquet ab axe
Phœbus, & exhauſtâ nequidquam voce querentem
Deſeris, heu pietas, nec tela inimica retundis?
Dixerat: intonuit læuùm, dextrámque tetendit
Iuppiter, & Terram affatu ſolatus amico eſt:
Parce metu mater; mea, ſi ſunt regia, Phœbus
Excipiet

Excipiet mandata, tuum quo mitior orbem
Jrriget, & graciles vultu maturet ariſtas.
Vix ea; cùm ſenſim verſo temone iugales
Altiùs obliquo traxerunt tramite currum
Solis, & affulſit terræ clementior ignis:
Protinus in teneros adoleuit molliter annos,
Qui modò vagitu poterat tantùm aſtra ciere
Mundus, & in terris cœpit robuſtior ætas.
Virgo genas Tyrio depingit murice Tellus,
Poma verecundo inficiens matura veneno;
Iam nec acerba fouet iuuenili in pectore poma,
Vbera ſed proli vitam diſtenta miniſtrant:
Effuſam iubet ire comam, nimboq́ue ſereno
Ludere, & aurarum ſenſim trepidare flagello.
Flaua coma eſt iuueni, qualem (cùm fuſa metallo
Sæcula primæuo Saturnia regna tulerunt)
Seruauiſſe ferunt annis melioribus orbem:
Sed viridis tamen antè fuit, redimitáque ſertis:
Scilicet hæc florum puero data munera mundo.
Aurea nunc rutilos circumligat infula crines
Meſſe nouâ, terraq́ue comas regaliter vmbrat;
Sic aurum intexto meliùs ſplendeſcit in auro.
Jlla ſedet regina anni, ſegetéſque beatas
Prouida venturis diſponit in horrea ſæclis,

M Deſi-

Deſignatq́ue vices rerum, annonámque futuris
Menſibus, anno etiam ſeruans alimenta labanti;
Inde coronatam tollens ad ſidera frontem,
Cælum amat, & tepidos dum vibrat in aſtra vapores,
Nuntia torquet amor terræ ſuſpiria cælo.
Iam redit, atque animat rurſus præcordia ſanguis,
Qui quondam excluſus cælo indignante receſſit;
Et iam ſanguineas oſtentat pampinus vuas,
Purpurat & Thisbes miſeratus funera fructus.
Vos iuuenes, ætas pleno dum viuida ſucco
Vernat, & arridet facilis clementia cæli,
Quid veſtras ſine honore comas fluitare per ora,
Poma quid in rigido ſinitis marceſcere trunco?
Forſan inacceſſi terrent vos ardua Pindi
Culmina? at ingenium validis ſecat aëra pennis.
Frondis honoratæ ſtipes ſterileſcere viſus?
At frontis ſudore viret ſi fortè rigetur.
Ite alacres; Pindus præcinget Daphnide crines,
Pomáque Sidonio vobis feret ebria fuco.
Sume animos mihi cara phalanx, plectroq́ue ſonanti
Dum Procyon furibundus agit ſua tela per auras
Treïcia vt quondam potuit lyra, contrahe ſiluas,
Et plantas lucóſque cie; ſic aggere denſo

Vmbra-

Vmbrarum obuallata, leuis dum perſtrepit aura,
Solis inexhauſtos illudes lenta calores.

A V T V M N V S.

Fragmentum.

AD MARCVM ANTONIVM CANOSSAM COMITEM.

O QVI *pampineis exerces ora lupatis*
Tigridis, & thyrſos agitas per inane comantes,
Bacche veni, effuſiſq; hederis, tremuloq; corymbo
Aurarum ad luſum plaudentia flabra laceſſe.
Euohe Bacche veni, thyaſis & Manade crudâ
Victor ab Eois referens tua ſigna ſubactis:
Proïjce tela manu, flammantes deïjce criſtas,
Flauentéſque coma (quales ſimulata gerebas
Virgo) reluctantem ferro criſpentur in orbem;
Tortilis hic Tyriam ſinuet per tempora mytram
Aureus, extremoq; tremens in margine limbus.
Euohe Bacche veni, mentíſq; per auia Niſa
Errabunda regens placido veſtigia ductu,

Culmina da facili tandem contingere paſſu.
Pieridum vale turba loquax, quæ pectora vatum
Pimplæis perfundis aquis, aperiſq; canoros
Natiuo de fonte lacus; mihi dolia muſto
Feta nouo triſtis diſpellant nubila mentis,
Atque coronatis ſpumet vindemia labris.
Si tuus argento fugitiuo gramina mordet
Irrequieta ciens per ſiluas murmura riuus,
Leniter irrorans curuata cacumina florum;
Me rutilo meliùs flaueſcens proluit auro
Bacchus, & irriguo diſtendit murice venas,
Molliter admordens tacito præcordia lapſu.
Euohe Bacche veni, dum nutabunda choreas
Nympharum exercet Satyris immixta proteruis
Turba rotans thyrſos, crinali incincta corymbo,
Clementéſque tuo pingueſcunt ſanguine colles.
Candide Baſſareu, genialis conſitor vuæ,
Lætitiæq; dator Liber, cui nomina mille
Fama dedit, Graiûm calamis ſubuecta per auras,
Huc adſis, per præla latex temulenta cruentus
Dum fluit, & labris vndans ſeſe ingerit vltrò,
Oſſaq; peruadens placidè mox ſuſcitat ignem,
Qui vocat ad cantus, irritat ad orgia Nymphas,
Alterniſq; docet Satyros luſiſſe Camœnis.

Scilicet

Scilicet vt vario diteſcens vinea partu,
Ipſa ſuis pretioſa opibus, frondente Smaragdo
Murice vel pingit, tenero vel temperat auro
Brachia, natiuis tractim gemmantia baccis;
Protinus in ſiluas latebroſo prodit ab antro
Turba procax, cui capra pedes, dat cornua coniux:
Silenus ſequitur pando ſubuectus aſello
Ebrius, & iactans caput in diuerſa caducum;
Illius heſterno feruent præcordia Baccho,
Nec cruor in venis trepidat, corpúſve pererrat,
Saucia quem laceris non fuderit vua racemis.
Ille vbi de facili pendentia pectore vitis
Vbera conſpexit, conſanguineiſq́ racemis
Sopitos ſenſit cognati ſanguinis ignes
Excitos, cupidamq́ animam ad ſuprema volantem
Labra, coloratis libaret vt oſcula baccis;
Salue, ait, ô numquam ſatis implorata bibenti
Mater, inhumano nimiùm malè viſa Lycurgo,
Votum anni, ſpes agricolæ mitiſſima, ſalue.
Tu gemmis Autumnum oneras, molliq́ pyropo
Plectis honoratas operoſa ſine arte corollas,
Quas tenero abſimilis depingit pampinus auro.
Tu nimio defeſſam æſtu, atque extrema trahentem
Fata ſiti terram, diſtentis nectare mammis

 Prona

Prona foues; propria tandem ſed prodiga vita,
Cui lacrymas olim dederas (dum Vere tepenti
Semiputata truci deflesti brachia falce)
Sanguinis exundans pretioſa fluenta propinas.
Dum laſſos terra declinat feta lacertos
Arbor, ab acclini depromens aurea trunco
Poma manu carpenda; ſinus tu gemmea dites
Recludis, calathóſque graues, anníque medullam
Seri aperis, venámque liquabilis elicis auri,
Ferrea quod curarum examina cordis inauret.
Dum feſſum in tepidis lacrymarum fluctuat vndis
Cor, vaſto indomiti abſorptum mæroris hiatu,
Naufragiúmque timet; tu riſus læta micantem
Fontem aperis, ſterníſq; lacum, qui ſpumeus auro
Cor rigat, & ſalſos inducit nectare fluctus,
Naufragiúmque parat vexanti corda dolori.
Tu ſeu pampinei curuata in fornicis arcum,
Deſuper impendens, frondoſi culmina cæli
Tot varias operoſa aſtris, quot botrus amatas
Educat & variâ baccas diſcriminat arte;
Seu mage connubio palo copulata marito,
Coniugis amplexus ſinuoſo blanda flagello
Expetis, in prolem grauidos enixa racemos,
Et paris, & partus mortales lactat hiantes.

Ergo

Digitized by Google

Ergo iterùm ſalue, Sileni gloria ſalue.
Dixerat: ad numerum Fauni luſiſſe feruntur,
Et choreas agitaſſe fera, crinéſque ſuperbos
Protinus aëriæ motaſſe ad carmina quercus.
Orpheus Eumenides numquam, delphinas Arion,
Amphion lapides, Amphryſi Cynthius arua,
Tyrteúſque mares animos, meliore laceſſunt
Carmine, non ipſæ Parnaſſia culmina Muſæ.
Ecce autem gemini thyrſos impunè per auras
Criſpabant Satyri, belli ſimulacra cientes:
Alter in alterius procurrit cominus haſtam;
Suſpenſo ferit ille gradu, rotat alter in orbem
Terga fugax, hoſtem reuoluto vt verberet ictu.
Crura alternatim, mox brachia iactat vterque.
Adſiliunt, inſtant, minitantur; hic obuius hoſtis
Ante oculos thyrſum ſimulatâ cæde coruſcat,
Contentúſque metu pauitantem innoxius vltrò
Præterit, obducto confeſſus gaudia rictu.
Ille inſultantis ſuetus malè ferre cachinnos,
Excoquitur furijs, & honeſtas imbibit iras;
Conſtitit in digitos, thyrſúmque amplexus vtraque
Fortè manu, ferus inſurgens altè extulit ictum,
Fregit & implicitum gemina inter cornua thyrſum:
Iamq; amens fremit, vltrices iamq; aggerat iras

Alter,

Alter, & in cædem ruit imperterritus hoſtis;
Cùm litem ancipitem numeris ſyringa diremit
Sileno modulante Dryas. Silenus vt æſtro
Percita ſanguineo Satyrorum pectora vidit,
Jndomitaſq; animas agitare in corde tumultus,
Admouit Dryadem labris queribundus hiulcis;
Hac vbi per ſiluas temulento exæſtuat igne
Turba ferox, Bacchiq; auidis exhauſta medullis
Flumina turgentes diſrumpunt ſanguine venas,
Atq; viam (heu rabies!) per mutua vulnera quærũt,
Alligat ille truces, & neſcia corda ſoporat.
Ergo vbi paulatim irarum deferbuit æſtus,

* * * * * * * * *
* * * * * * * * *

PAVPERTAS LIBERA.

BENE *eſt: auara vincla tyrannidis*
Tandem reſolui: proripe te citò
Fortuna, votis vulneratum
Verte aliò pudibunda regnum.
Dudum catenis præda ſub aureis,
Et ſeruitutis victima libera,
Sortis furori mancipati
Damna animi pretioſa fleui.

Iugo

Iugo premebar neſcius; inſolens
Fortuna vitæ frena licentiùs
Verſabat, aurato ſeuerum
Exagitans animum flagello.
O cæca flauo pectora fulgetro!
Sic blandientis vos iubar occupat
Fallax metalli? ſic renidens
Terra oculos ferit inquietos?
Tellus maritis ebria Cynthij
Flammis, latentes erudit aureo
Colore glebas; gleba cordis
Imperium rapit impotentis.
Aurum ſititis? prona micantibus
Aurum propinant ſidera crinibus;
Hæc vos doloſis incubantes
Diuitijs, furiata cernunt.
Hæc, queîs lacunar imbricat ætheris,
Pingitq́ noctem luminis artifex,
Defunctà fortunæ triumphis
Pauperies opulenta calcat.
Ergo quid audes orbe plicatili
Verſare rurſum Ixiona? pectoris
Fortuna quid fruſtrà laceſſis
Arbitrium generoſioris?

Digitized by Google

Fuge ah rotanti turbine labilis,
Infame monſtrum, crinibus orphanum,
Monſtrum pudendis impiatum
Criminibus, ſine laude nomen.
Tu lacrymato nauita in æquore
Suſpirioſo lintea flamine
Vrges auarorum, precantum
Vocibus imperioſa cautes.
In hoc libenter ſarcina naufraget
Felix bonorum: pondus inutile
Quid terga delaſſet Biantis?
Cur domino dominetur aurum?
Iter viator ſi breue concipis,
Inefficaci parce pecuniæ:
Congeſta torquet ambulantem;
Vita breuis breue poſcit aurum.
Ito, excitaſti iam ſatis irrita
Fortuna riſum: luſtra perambula,
Fuge in latebras; deſpicatas
Quid toties meditaris artes?
Afflabis? auris iam melioribus
Cæli magiſter pectora ſoſpitat,
Et largus æternis capacem
Diuitijs animum beauit.

Reflabis?

Reſlabis? iras negligit hiſpidas
Depræliantum per mare turbinum
Subductus in portum phaſelus,
Cui placidæ famulantur vndæ.

PAVPERTAS SECVRA.

POTENTIORVM *pectoris hoſpitæ*
Valete curæ: me vacuas iuuat
Egiſſe noctes, & quieti
Purpureas ſine labe luces
Sacraſſe: Serum vellera murice
Sarrano in aulis ebria rideant,
Vt calcet inſtratum cubile
Diuitijs temulentus Heros;
Numquam ſeueras ſollicitudinum
Eludet iras anxius, in toro
Artus reclinabit labantes
Indomito populandus æſtu.
Curæ mapalis pauperis inſciæ
Celſas pererrant nobilium fores,
Sæuaq; pallorem ſepulto
In dominos regerunt ab auro:
Plumas, ſoporis ſcilicet illices,
Docent acutis vulneribus leues

Ferire ſomnos: pluma telum eſt
Diuitibus, feretrum cubile.
Laborioſis ingenium fames
Largita torpet; flammea frigidis
Retuſa curis, prouocati
Segnitiem ſtomachi obſtupeſcit.
Ite, ite curæ: diuitis Indiæ
Faſtidioſam deſero copiam;
Bacchiq́; munus ſæuientis,
Fata Midæ ſpecioſa, temno.
Fortuna rumpit meſſibus horrea?
Fortuna curas ſemine cùm ſuo
Seuit per agros; ſic adultâ
Cum ſegete inualuere curæ.
Ventus ſonantes aggeret impetus
Emolienti Nerea claſſico:
Fruſtrà minatur; vota nulli
Credo rati, peritura in vndis.
Cælum ſuperbis nigricet imbribus,
Agriq́; dirâ grandine vapulent:
Non corda ſacraui nouali,
Olenio ferienda cornu.
Frangat morantes ſpumeus aggeres
Padus, benignis atque equitet ſatis:

Exæſtuan-

Exaſtuantes non natabit
Spes mea deficiens per agros.
Euerberatis machina mœnibus
Inſultet arci puluere Martio:
Mens tuta ridet fulminantem,
Nec dominas metuit ſecures.
Illa abdicatis faſcibus imperî
Maior, ſerenis inſidet arcibus;
Virtute ſe inuoluens, maritam
Pauperiem ſine dote quærit.
Dum Phœbus auro verticis improbas
Bellator vmbras ſauciat, ignibus
Non mutuatis tunc renidet,
Sed propriô ferit ore noctem.
Sic inuidentum nubila diſſipat,
Non tela ſpargens aurea, fulgure
Virtutis agnato ſed ignes
Pauperies animoſa iactat.
Auri valete ô pondera, pondere
Curarum onuſta; me leuis ignea
In aſtra ſuſtollet beandum
Pauperies ſine fraude diues.

PSALTRIA IN PVTEVM SESE PROIICIENS.

HAVSERAT *in ſiluis voces ſatyriſcus amantum,*
Vanaq́ue mendaci nomina fuſa ſono,
Cùm ſponte indecori periјt Cithariſtria leto.
Priſca ille irridens verba proteruus ait:
Sol ſub aquis latet; vnde diem ſperatis amantes?
Obruit ah veſtrum prodiga lympha iubar.
Forſitan ex oculis amnes fudiſtis amaros,
Dura quibus pœnas obruta Virgo daret.
Illa vel vndoſo in ſpeculo, ſibi triſtis amatrix,
Narciſsi referens fata gemenda perit;
Aut Siren cupiјt lymphas mulcere querelis,
Dum canit, & docto pollice tangit ebur.
Sic reor: vnda melos ſalit auditura canorum;
Sed nimis, heu, cupido flumine colla premit.
Ite, faces qui corde alitis: docet improba Virgo,
Quo benè ſubſidat flumine fax, & amor.

PAVLVS.

QVÆ *me barba decet, malas mihi pingat honeſtas,*
Paulus ait. tonſor cui catus iſta refert:

Tempora

Tempora ſi numero, qualis non dedecet hircum,
Te decet; ingenium computo, nulla decet.

LVCIVS.

LVCIVS *amiſſum deflerat morte ſodalem;*
Quem cernens, lacrymas fudit ab ore nouas.
Lætitiæ noua ſigna; fretum lacrymando profudit,
Poſſet vt in lacrymis naufragus ire dolor.

ANNIBALIS SPAZZINI CAPVT E MARMORE.

SVM *lapis, Annibalem forſan quem rere viator;*
Sed lapidem artificis vix ſinit eſſe manus.
Non vitam dedit, Annibalem ſed tranſtulit in me,
Vt nequeam, Annibale non moriente, mori.
Cetera ſi ſimili finxiſſet membra labore,
Ipſum opus artificis falleret artificem.
Docta pedes renuit capiti ſupponere dextra,
Ne pedibus viuens artis abiret opus.

ALPHONSVS FONTANELLA MARCHIO.

NVNC *grauis in medio indagas arcana Lyceo*
ALPHONSE, *& populi frena regenda doces;*
Mitior

PSALTRIA IN PVTEVM SESE PROIICIENS.

HAVSERAT *in ſiluis voces ſatyriſcus amantum,*
Vanaq; mendaci nomina fuſa ſono,
Cùm ſponte indecori periјt Cithariſtria leto.
Priſca ille irridens verba proteruus ait:
Sol ſub aquis latet; vnde diem ſperatis amantes?
Obruit ah veſtrum prodiga lympha iubar.
Forſitan ex oculis amnes fudiſtis amaros,
Dura quibus pœnas obruta Virgo daret.
Illa vel vndoſo in ſpeculo, ſibi triſtis amatrix,
Narciſsi referens fata gemenda perit;
Aut Siren cupiјt lymphas mulcere querelis,
Dum canit, & docto pollice tangit ebur.
Sic reor: vnda melos ſalit auditura canorum;
Sed nimis, heu, cupido flumine colla premit.
Ite, faces qui corde alitis: docet improba Virgo,
Quo benè ſubſidat flumine fax, & amor.

PAVLVS.

QVÆ *me barba decet, malas mihi pingat honeſtas,*
Paulus ait. tonſor cui catus iſta refert:
Tempora

Tempora ſi numero, qualis non dedecet hircum,
Te decet; ingenium computo, nulla decet.

LVCIVS.

LVCIVS *amiſſum deflerat morte ſodalem;*
Quem cernens, lacrymas fudit ab ore nouas.
Lætitiæ noua ſigna; fretum lacrymando profudit,
Poſſet vt in lacrymis naufragus ire dolor.

ANNIBALIS SPAZZINI CAPVT E MARMORE.

SVM *lapis, Annibalem forſan quem rere viator;*
Sed lapidem artificis vix ſinit eſſe manus.
Non vitam dedit, Annibalem ſed tranſtulit in me,
Vt nequeam, Annibale non moriente, mori.
Cetera ſi ſimili finxiſſet membra labore,
Ipſum opus artificis falleret artificem.
Docta pedes renuit capiti ſupponere dextra,
Ne pedibus viuens artis abiret opus.

ALPHONSVS FONTANELLA MARCHIO.

NVNC *grauis in medio indagas arcana Lyceo*
ALPHONSE, *& populi frena regenda doces;*

Mitior

Mitior Etruſco exploras nunc pectine neruos,
Et placida ingenium temperat aura tuum.
Nunc etiam numeros diſpenſat dextra canoros,
Quos tecum artifici digeris antè notâ.
Sic leuibus grauia immiſces, leuiora ſeueris,
Vt grauior numquam aut dulcior eſſe queas.

MAFFEIO CARD. BARBERINO BONONIAE LEGATO,

VVÆ MVNVS VERNO TEMPORE.

INTEMPESTIVIS *quæ purpurat vua racemis,*
Veris & Autumni conſociauit opes.
Anne orbis MAFFEIE *tibi ſic militat ætas;*
Sollicites anni vt tempora, vel reuoces?
Nec reuocas, nec ſollicitas, ſed ſiſtere cogis;
Illa tuæ fuerint iuſta trophæa lyræ.
Sed fuerit quodcumque; Vrbis componere motus
Non poterit, motum qui cohibere poteſt?

ANGELVS GRYLLVS PRIMI NOMINIS POETA LYRICVS.

NVLLA *per implumes malas dũ ſerperet vmbra,*
Phœbus eras vultu, carmine Phœbus eras;
Aut

Digitized by Google

Aut Siren querulum lacrymarum queſta per æquor,
Cordis & affectus eiaculata pios.
Mox vbi creuit honor vultus, tu Thracius alter
Amiſſam reuocas ſqualido ab orbe animam.
Grylle quid incuſas canos? ah plectra laceſſe:
Hi tantùm deerant, vt morereris olor.

AD N. DE N. POETA EDITIONEM CARMINVM MEDITANTE.

N.... *volet fama pennis, calamumq́; diſertum*
His inget, vt citiùs carpat honoris iter:
Me tellus propiorem habeat, ne fortè cadentem
Sentiat; ad ſuperas mens volet vna plagas.
Neſcius hîc orbis, tacitóque inglorius æuo
Dum viuam, cælo ſat benè notus ero.
Sufficit hoc; cælum ſi cui non ſufficit, ille
Infernis rutilet clarior in tenebris.

AD PAVLVM RVBEVM COMITEM.

PROFER *opus; mundi cur ſic vota irrita differs,*
Negligis & ſtudij præmia PAVLE *tui?*
Tu potis es calamis calamos adiungere famæ,
Vt ſubuecta tuo remige celſa volet:

O *Excubat*

Excubat ante fores, fetumq́ue expoſcit alendum
Illa tuum, tantis debita carminibus.
Quid ſenium expectas? patri ſuccedat vt heres
Partus, & extincti nomina tanta nouet?
Profer opus, viues, nec nomina tanta peribunt,
Et patris in nati fronte legetur honor.

PAVLVS·RVBEVS COMES AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

EDAT *opus, qui mentis opes effundere doctis*
Ingenij venis non ſine laude poteſt.
Diuitias animi nequit hoc expromere pectus,
Ni quas eliciat, mens tua fundat opes.
Non calamus noſter calamos, quibus euolet, alas,
Aſtra quibus tangat, nec mea fama gerit.
Sola tua ducent membrana carbaſa, tollent
Quæ calami ventus, quod celebrabit opus.
Remigio tanto me, Vates, erige Vatem;
Gloria te, calami me vehet aura tui.

AD OCTAVIVM MENINVM I. C. ET POETAM.

VT *tua Pierios imitantia carmina cantus*
Hauſimus, & rabidas vincere docta feras;
Ilicet,

Ilicet, OCTAVI, *tenui mea Muſa ſuſurro*
Geſtijt in laudes ambitioſa tuas.
Carmina num temnes? colitur ſed carmine cælum,
Et fouet Auguſtus carmen oloris olor.
Carmen habe, OCTAVI; *ſed cor cum carmine Vatis:*
Qui cordata neget carmina, corde caret.

OCTAVIVS MENINVS
AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

CVLTOR *ô Heliconij receſſus,*
Et vmbra nemorum ſacratiorum,
MASCARDE, *ah nimiùm malum Poëtam*
Bonis carminibus tuis beaſti:
Hiſce carminibus, venuſtiorum
Plenis, Iuppiter, elegantiarum,
Quæ vel pulcher Apollo, vel Thalia
Dictauit tibi ſub virente lauro,
Ad murmur placidæ ſtrepentis vndæ.
Quî grates igitur pares rependam
Hoc pro munere, quod mihi perenne
Tui pignus amoris eſt futurum,
Planè neſcio; ſed Deos rogabo,
Vt hoc eximio tuo lepore,

Digitized by Google

Rari dotibus ingenijq; captus
Te Tibris pater, & beata dignis
Roma tollat honoribus merentem.

PAVLVS RVBEVS COMES AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

DVM *petis æthereos famæ talaribus orbes,*
Ingenio laxans tam benè lora tuo;
Cynthius hoc curſu ſplendorum auriga quieſcit,
Et radijs pingit quod pede verris iter.
Dum canis, ipſa ſilet cæli ſymphonia, pugnat
Cum Phœbo Phœbus, qui tibi corde fluit.
Vinces: nam fulgent mage lucida carmina ſole,
Carminibuſq; micat mens tua clara magis.

AD PAVLVM RVBEVM COMITEM AVGVST. MASCARDI RESPONSIO.

DVM *peto ſidereos calamis audacibus orbes,*
Dædalus aſſurgens Icarus inde cado.
Cynthius indignans radijs mihi demetit alas,
Atque vltrix ſequitur flamma cadentis iter.
Dum cano, muta ſilet cæli ſymphonia, cantus
Indignata rudes, immeritumq; melos.

Quid

Quid faciam cælo ac Phœbo indignante? tacebo?
Quoſq́ue loquax nequeo flectere, mutus agam?
Tu mihi PAVLE *lyra cælum Phœbumq́ue mouebis;*
Aut cælum & Phœbus carmine ſolus eris.

AD CONSTANTIVM SCALAM CANONICVM MVTINENSEM.

PAX *fugit Inſubrum rabido tremefacta tumultu,*
Et ſecum Italiæ vota gementis habet.
CONSTANTI, *dum ſacra coles altaria, Pacem*
Euocet à ſuperis mens miſerata plagis.
Carmine quid faceres tenero, ſi carmine Mauors
Increpat Aonidum plectra canora truci?
Aera lyras vincunt clangentia, tympana cantus,
Arma iocos, Pindi rauca fluenta cruor.
Pro ſertis galea eſt, Phœbi pro fronde cupreſſus;
Proq́ue Erato Lacheſis exequiale gemit.
Ergo aras dum ritè colis, tacitaſq́ue loquentes
Pectore de ſacro mittis in aſtra faces;
Pacem ora, veniet cælo deducta; catenam
Scilicet effingit voce precantis Amor.

Rari dotibus ingeniiq́ captus
Te Tibris pater, & beata dignis
Roma tollat honoribus merentem.

PAVLVS RVBEVS COMES

AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

DVM *petis æthereos fama talaribus orbes,*
Ingenio laxans tam benè lora tuo;
Cynthius hoc curſu ſplendorum auriga quieſcit,
Et radijs pingit quod pede verris iter.
Dum canis, ipſa ſilet cæli ſymphonia, pugnat
Cum Phœbo Phœbus, qui tibi corde fluit.
Vinces: nam fulgent mage lucida carmina ſole,
Carminibuſq́ micat mens tua clara magis.

AD PAVLVM RVBEVM COMITEM

AVGVST. MASCARDI RESPONSIO.

DVM *peto ſidereos calamis audacibus orbes,*
Dædalus aſſurgens Icarus inde cado.
Cynthius indignans radijs mihi demetit alas,
Atque vltrix ſequitur flamma cadentis iter.
Dum cano, muta ſilet cæli ſymphonia, cantus
Indignata rudes, immeritumq́ melos.

Quid

Quid faciam cælo ac Phœbo indignante? tacebo?
Quoſq́; loquax nequeo flectere, mutus agam?
Tu mihi PAVLE *lyra cælum Phœbumq́; mouebis,*
Aut cælum & Phœbus carmine ſolus eris.

AD CONSTANTIVM SCALAM CANONICVM MVTINENSEM.

PAX *fugit Inſubrum rabido tremefacta tumultu,*
Et ſecum Italiæ vota gementis habet.
CONSTANTI, *dum ſacra coles altaria, Pacem*
Euocet à ſuperis mens miſerata plagis.
Carmine quid faceres tenero, ſi carmine Mauors
Increpat Aonidum plectra canora truci?
Aera lyras vincunt clangentia, tympana cantus,
Arma iocos, Pindi rauca fluenta cruor.
Pro ſertis galea eſt, Phœbi pro fronde cupreſſus;
Proq́; Erato Lacheſis exequiale gemit.
Ergo aras dum ritè colis, tacitaſq́; loquentes
Pectore de ſacro mittis in aſtra faces;
Pacem ora, veniet cælo deducta; catenam
Scilicet effingit voce precantis Amor.

Digitized by Google

CONSTANTII SCALÆ
AD AVGVSTINVM MASCARDVM
RESPONSIO.

BELLA *parant*, MASCARDE, *homines, pax pulſa recedit,*
Aoniuſq; pauet, Marte furente, chorus.
Pax cælum repetit: ſacros fugitiua receſſus
Muſa tuo quærit ritè fouenda ſinu.
Hìc galeas non ipſa timens, criſtaſq; minaces,
Frondis Apollineæ gloria ſoſpes erit:
Nec tibi terrifico ceſſabit victa fragore
Edere dulciſonos blanda Camœna modos.
Intereà profugam votis depoſcere pacem,
Noſtra erit hæc monitis ſedula cura tuis.
Sæpiùs offenſi timeo ſed Numinis iram;
Spreta diu tardas deſpicit illa preces.
Quàm pridem heu ſimiles portēdunt ſæua tumultus?
Lenis at incaſſum murmurat ira Dei.

MELCHIOR INCHOFER E SOC. IESV
AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

PHOEBVS *Hyanteis Vatem quem ſubroget àruis,*
Muta diu rurſum Muſa Latina docet.
Illa

Digitized by Google

Illa tua eſt, MASCARDE, *ſuis qui ſidera cælis*
Reddis, & Auſonio carmina digna ſolo;
Pelignus vixit, tu nobis viuito, priſcis
Sideribus ſidus iunge Poëta nouum.
Iungere ſideribus tua carmina fortè vereris?
Iungent carminibus ſidera ſeipſa tuis.

AVGVSTINI MASCARDI RESPONSIO.

CARMINA *ſideribus ſi iungere,* MELCHIOR, *optem,*
Sidera carminibus vel ſociare meis;
Aut me ſidereus moribundo gutture cygnus,
Aut lyra ſidereis inſtruat apta choris.
Repo, cælo inhiem? cæca eſt, petat aſtra Camœna?
Cæli oculos oculis capta videre nequit.
Limes erit numeris, qui paßibus; aſtra laceſſat
Carmine, cui dignum ſidere cantat ebur.
Me picturato deſcribens ſidere campos
Cogit odoratos aura referre ſinus.
Perlege quæ calamo Zephyritidis inter odores
Luſimus, hinc diſces quàm procul aſtra colam.
Sola poteſt tua me virtus ſuper aſtra locare;
Hanc ego ſi celebrem, ſidera iungo metris.

FVLVIVS TESTIVS

AD AVGVSTINVM MASCARDVM.

MASCARDE, *eloquio & Vatum virtute priorum*
Perdita qui nobis ſæcula reſtituis,
Cui licet Aonidum ſacros penetrare receſſus,
Oraq́; Caſtaliјs fontibus abluere:
Ardua dum ſummi conor faſtigia Pindi
Scandere, & inſuetus deuia ſaxa peto;
Porrige mî dextram, trepidos & dirige greſſus,
Ne noua dem ſalſis nomina lapſus aquis.
Quòd ſi Aganippæos mihi fas haurire liquores
Per te, & Pieriam ſollicitare chelym;
Te mea per cunctas reſonabunt carmina ſiluas,
Et fies noſtræ gloria prima lyræ.

AVGVST. MASCARDI RESPONSIO.

O VTINAM *ſiluam mulceres carmine, ſilua*
Dignior Auſonio Conſule nulla foret:
Ruſtica tam cultos ediſceret aura ſuſurros,
Docta quibus ſocias luderet inter aues:
Prona melos biberet vocalis Virgo, nec illud
Redderet abruptis facta diſerta ſonis:

Remi-

Digitized by Google

Remigium libraret auis captiua canentis,
Spargeret argutos inde per arua modos:
Gloria prima lyræ fierem, nam victa canora
Vltrò ſubijcerem barbita noſtra lyræ.
Ergo cane: eſt aliquid numeris viciſſe; ſubibo
Sponte iugum, ingenij præda decora tui.

AD
BERNARDINVM STEPHONIVM
E SOCIETATE IESV
EXPOSTVLATIO.

SCILICET *hanc etiam demum tentabimus arcem,*
Et tua pulſanda eſt carmine dura fides.
Carmine Biſtoniæ poſſunt molleſcere cautes,
Fluminaq́ inuitum flexa referre pedem.
Carmine vibratos Celtarum contudit enſes
Muſa ferox, Martis non tremefacta minis.
Carmina Marmaricos poßunt mulcere leones,
Et trahere immanes ad ſua verba feras.
Quid ſiluas memorē, quid ſquammea ſæcla natantū?
Hæc ſciſſum docto pollice traxit ebur.

Carmine Perſephonem properata retexere fata
Orpheus, & Stygias ſtare coëgit aquas.
Quin etiam ad carmen dirarum ex ore ſororum
Hoſpita non patrio lacryma fonte cadit.
Carmina ſi poteris durus contemnere noſtra,
Dicèris cautes vincere duritie.
Sæpè laceſſitus, cur non reſcribis amico?
Cur trahit inuiſas muta Camœna moras?
Scribam, ais, ignoto? nouit me Flauia, nouit
Criſpus, inhumani culpa gemenda patris.
Tu quoque STEPHONI, *tantùm ne finge, beata*
Dum me Roma tulit noſcere faſſus eras.
Nunc quoniam verſor fatis auulſus ab Vrbe,
Nec ſupereſt ſine me nomen in Vrbe meum.
At tuus in noſtro viuit, ſemperq́; vigebit
Neſcius auelli pectore fixus amor.
Et quoties Fauſtæ relegam lacrymabilis ignes,
Et Vatis toties nomina magna colam.
Criſpe cadis? patri iuuenis deflendus, & hoſti,
Criſpe nouercali fraude peremptus obis?
Heu dolor, heu lacrymæ, primo dum flore notantur
Ora, cadis nulli cognitus ante necem.
Impiat infando dextram pater inſcius auſu;
Inſcius, ah, potuit commaculare manus?

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe triumphali Capitolia ad alta quadrigâ
Vectandus, feretro flebilis inueheris.
Vna dies laurum potuit damnare cupreſſo,
Et Romæ plauſus ſuſtulit vna dies.
Culpa fuit iuuenem turpi placuiſſe nouercæ,
Nec patrios probris conſceleraſſe toros;
Eſt-ne nouercales quiſquam qui deſpicit iras?
Aſt amor, heu pietas, funera tanta dedit.
Perdidit hunc pietas, clemens ſeruauerat ira,
Opprimit hunc nimio victus amore pater.
Arma furor ſæuus proiecerat, induit arma
Mitis amor, Criſpus vulnere amoris obit.
Spretus amor matris, patris ſed læſus; vterq;
Pugnat, in innocuum ſpicula vterque iacit.
Proh, quantus qualiſq; tui flos integer æui
Occidis, & crimen diſsimulare potes?
Eluis heu proprijs aliena piacula pœnis,
Ducis & in venas tela aliena tuas.
Si tibi quæ regerit meretrix fera crimina prodis,
Impius in matrem damna pudoris habes:
Si læſi tacitus formidas damna pudoris,
Cogeris innocuus ſceptra paterna pati.
Romæ amor, ornatus Romæ, ſic decidis heu heu,
Sicq; tuum in medio Parca reprendit iter!

Hæc dixi quondam, Criſpi dum funera flerem,
Quæ gemit in Tragico ſyrmate tanta chelys.
Nam cui ſic rigido lapideſcant viſcera ſaxo,
Vt relegens lacrymis abſtinuiſſe queat?
Iudicis inuitas iras quis ferret amantis?
Quis gemitum irati voce tonante patris?
Sceptra patris quò Criſpe rapis, dum crimina matris,
Dedecus atque tibi læſus inurit amor?
Attamen eſt tanti iugulum ceſsiſſe nouercæ:
Viuis Criſpe tuis maior ab exequijs,
Dum quatit orcheſtram, Thymelem dum concitat ar-
Torquet & igniuomas Muſa Sabina faces. (dens,
Maior obis, ſenſuſq; trahis, lacrymáſque ſequaces
Elicis, hoc ſyren Parthenopæa docet;
Hoc quæ ſepteno baccata eſt vertice tellus,
Quæ Criſpi toties luctibus indoluit.
Hinc neq; iam Sophocles Romana Tragœdia Graijs
Inuidet, & Senecas euehet inde minùs.
Dum feret iratus ponto vectigal aquarum
Tybris, & Auſonias alluet vſque plagas;
Tortile dum Phœbe fraternâ luce niteſcens
Ducet iter ſtellis inuidioſa ſuis;
Tempore dum primo gemmaſcent floribus horti,
Dum liquidum franget gutture carmen auis;

Fama

Fama erit, & Criſpi numeris animata ſonoris,
Nomen & æternum Vatis ab ingenio.
Ille tuum cum Sole decus diſperget in oras,
Quas & trans Indos alluit Oceanus.
Hæc dixi quondam, Criſpi dum funera flerem,
Funera Romanis tam benè culta modis.
O decus Italiæ magnum, quo Vate ſuperbit
Roma, ſui quondam neſcia Virgiliĳ;
An meritis forſan quæſita ſuperbia mentem
Imbuit, vt nobis ſcripta cupita neges?
Blandior abiectos tandem ah ne deſpice, tanti
Flexiſſe eſt aliquid pectoris arbitrium.
Flauia cur decies nobis repetita negatur?
Debita iam dudum Flauia, noſter amor?
Hæc ſatis: antiquas mulcet STEPHONIVS *iras,*
Et redit innatum rurſus ad ingenium.
Verſibus approperat iam iam comitata trecentis
Flauia, iam votis ſæpè vocata redit.
Me tenet antiquis celebrata Placentia chartis,
Qua Roma quondam caſibus ingemuit.
Annibal hîc cædem ſpirat, populúmque Quirini
Demetit, hinc Romæ Pergama celſa quatit.
Diſcolor Eridano congeſta cadauera torrens
Euomit, ille ſuas tabe cruentat aquas.

Hinc dirum Trebia nomen Capitolia terret,
Hinc Trebia audito nomine Roma pauet.
O quoties cladis recolens veſtigia ploro,
O quoties lacrymans Romula buſta colo!
Parte aliâ Eridanus Phaëthontis ab ignibus ardens
Miſcet aquas flammis, ignis & vnda coit.
Æmulus ille maris dum gurgite plenus honoro
Labitur, occiduos ſolis amabat equos;
Hoc tantùm deerat, ne maior gloria pontum
Efferat, vt Phœbus flumine mergat equos.
Id vetuit lex fixa Jouis, rogat ille nitentes
Vt nati ſaltem proluat vnda comas.
Mergitur hinc Phaëthon, currus auriga paterni,
Et liquido Eridani conditur in tumulo.
Hinc maius fluuio nomen, fata inde Sorores
Non intellectis dura gemunt lacrymis:
Plurima turgentes ripas hinc populus vmbrat,
Populus Eliadum fata ſuperba comis.
Aſpera ſed Bauij ſileant iam barbita, credo
Non feret incultos Muſa Sabina modos.

AD

AD IOANNEM VINCENTIVM IMPERIALEM,

De eius VITA RVSTICA, integro poëmate deſcripta.

QVÆ viret intonſis frondeſcens ſilua capillis,
VINCENTI, cithara pompa ſuperba tua eſt.
Scilicet hanc numeris noſtras educis ad auras,
Emicat hæc tanta filia tanta lyra.
Siluam olim viduus contraxit queſtibus Orpheus:
Tu paris, & partam digeris antè chelys.
Illius ad lacrymas adoleuit ſilua canoras,
Naſcitur hæc trepidis ſemper adulta comis.
Ille ſibi exitium crudeli in ſtipite thyrſos
Finxit, tu capiti laurea ſerta creas.
Ille feras, tu corda trahis; ſæcla ille volantum
Alligat, aſt ſupplex vtraque Muſa tibi eſt.

AVGV-

AVGVSTINI MASCARDI

SILVARVM
LIBER TERTIVS
DE
REBVS TRISTIBVS.

MAXIMILIANO MONTECVCCVLO

COMITI

S.

NEMO te prudentiùs de humanarum rerum inconſtantia philoſophatur, nemo frequentiùs de vitæ breuitate conqueritur. Triſtia igitur hæc adoleſcentiæ vtique infelicis monumenta, carminibus vtcumque concinnata, libenter accipies, libentiùs excuſabis. Nam

Digitized by Google

Nam, vt de ſcribentis ætate taceam, dolor phaleras atque pigmenta non patitur; & dum curis animum, oculos luctu paſcit, de calami ieiunio non laborat. Ego ſanè, qui ærumnas iamdiu de facie noui, vt acerba multa ferre poſſum, ita eadem verſu concludere non poſſum. Ad ſenſum mihi, non ad ingenium cadit perpeſſio calamitatum. Quiſquis in luctuoſis ſtilo ludit, næ ille ſanguine leuitatem ſuam in poſteritatem tranſſcribit. ô duros animos, qui de doloribus ludos faciunt! Vale.

IN OBITV
MARGARITÆ AVSTRIACÆ
HISPANIARVM ETC. REGINÆ
ECLOGA.

LYCIDAS. CORYDON.

QVID *gemis, ô Corydon, curiſq; voracibus ager*
Littore ab Heſperio patrios concedis in agros?
Namq; lares poſtquam magni pertæſus Iberi,
Natales, tua tecta, caſas, campóſque ſubiſti,
Deiectâ ſub fronte lego monumenta doloris.
Vulnus alis Corydon, tacitúmque liqueſcis in imbrem,
Seu nitidas hebetata comas palleſcat in vmbras
Stella, iubar reuocante Deo; ſeu Delia fratre
Plena, ſuas agitet cæli per amœna choreas:
Non Scythiæ tamen arua colis, non littora Daci,
Incultos aut Læſtrygonas, Meroémve nigrantem,
Atque pharetratis regnata mapalia Parthis;
Sed tibi nimboſis trepidat temulentior vndis

Parma,

Digitized by Google

Parma, ſuis famulata vadis, patrioſq́ penates
Mordet aquis, ſtudio tantùm ancillata fideli
Dum pluuiale madent Hædi, dum triſtis Orion
Verberat imbre ſolum, niuium dum tabe ſolutâ
Fumat ager, tepidúſq́ vndis ſuperincubat Auſter.
Attamen obſcuras defles fera fata per vmbras,
Et duram inclamas Lacheſin, ſocióſque dolores
Ore ciens, querulo funeſtas carmine ſiluas.
Dic age, quid largi corrumpunt lumina fletus?
COR. *Dum ver purpureum primauâ in fronte renidet,*
MARGARIS *occumbit (nomen venerare pudicum)*
MARGARIS *Hiſpani non frigidus ardor Amyntæ.*
Hinc riget in venis inconſolabile vulnus,
Quod lacrymis ſua fata gemens inflixit Amyntas.
LYC. *Ille-ne, cui flauum diteſcit vellus in aurum,*
Peliaca monumenta ratis, rutilúmque coruſcant
Prata per & ſiluas auratis cornibus agni?
Ille-ne, cui faciles dum curua ad littora piſces
Oceani populator agit, Regnator aquarum
Prodigus arcanis gazis opulentat arenas?
Ille-ne, Sardois ramoſa corallia ſaxis
Qui legit, Aetnæo donat quem flore Pelorus,
Blandaq́ Parthenope Siren? quemq́ vltima Solis
Vrna colit, famulis cui ſupplicat India gemmis?

COR. *Hic, Lycida, ô quali violauit flumine malas,*
Irrita quot vacuas olim diſperſit in auras
Carmina, dum querulo diſcindit pectine neruos!
Vidi ego pallentis tabeſcere fletibus ora;
Interrupta meis ſuſpiria vocibus hauſi.
Hinc patrios gemebundus agros ac tecta ſubiui;
Plorantiſq; animo quoties occurrit imago,
Integrat infauſtum mea mens perterrita luctum.

LYC. *Fama peregrinas volitans metuenda per oras,*
MARGARIDOS *fatũ, lacrymas vulgarat Amyntæ.*
Hinc noſtri dominator agri gemit, ille Menalcas,
Perpetuo cui vere nitent vegetata per agros
Lilia, cæruleis cælum referentia labris.
Ergo graui durata gelu dum nubila pendent,
Balantúmque greges tepido tacuere ſub antro,
Ante focos miſeri referas mihi carmen Amyntæ.
Sæpè dolor tenero didicit molleſcere cantu.

COR. *Incipiam, ſi fortè queant mea carmina curas*
Fallere; tu Lycida queſtus memorato Menalcæ.
MARGARIS *occubuit? cineri date ſerta pudico,*
Et ſacra coniferâ conſpergite buſta cupreſſo.
MARGARIS *occubuit? primæui corporis annos*
Vix egreſſa, ſuo funeſtat funere Amyntam.
O Coniunx mihi cara vale, vale lumen Amyntæ.

Ducite

Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos.

LYC. MARGARIS *occumbit? lacrymis decorate ſepulcrum,*
Et magni veniant iniectæ ad lilia manes.
MARGARIS *occumbit? famâ dum colligit orbem,*
Occidit, & miſerum inceſtant fera fata Menalcam.
O ſemper mihi magna vale, vale cura Menalca.
Fundite funereos, mea lilia, fundite odores.

COR. *Decolor auratas limo Tagus obruit vndas,*
Indica diuitibus ſterileſcunt marmora gemmis,
Dum tu ſtella cadis, cuius lux candida gemmas
Educat occultas, fluctuſq́; colorat in aurum;
Dum tu gemma iaces, atque auri vena beati.
Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos.

LYC. *Turba gemit vigilum, pecori quæ nocte ſilenti*
Excubat, optatas quòd ſic Tagus obruat vndas,
Quod neque diuitibus gemmaſcant marmora baccis:
Induit auratos, nam te donante, cothurnos;
Arſit & articulus, te concedente, pyropis.
Fundite funereos, mea lilia, fundite odores.

COR. *Templa gemunt, ſimulacra labant ſqualentibus aris,*
Atque tuo cadit, heu, pauitans in funere Virgo.
Templa oleis, ſimulacra roſis, & veſtibus aras
Ditaſti; vigiles æterna ad lumina noctes,
Te ſuadente, tulit iurato carmine Virgo.

Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos.

LYC. *Plorat inops, miſeranda dolet ſine coniuge coniux,*
Flet Pietas, caſtiq; tori fremit anxia custos;
Namque inopi pretium, Vidua ſolamen amanti,
Atque illibata tutum Pietatis aſylum,
Et læſi fueras vltrix metuenda Pudoris.
Fundite funereos, mea lilia, fundite odores.

COR. MARGARI, *dum ſeptem venerantur marmora Nati,*
MARGARI, *dum viduus veneratur marmora Coniux,*
In Natis, ſimulacrum ingens, tua viuit imago.
Orbus amor, miſerandus honos, in Coniuge ſæuit,
Atque in vtriſq; ingens populatur viſcera mæror.
Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos.

LYC. MARGARI, *& ad tumulum Natóſque Patrémque Menalcas,*
Si deceat, comitatus adit, cineréſq; veretur,
Et locat in mediâ ſimulacrum pectoris arâ,
Quaq; licet mulcet dictis in Coniuge vulnus,
Et conſanguineo ſociat ſuſpiria luctu.
Fundite funereos, mea lilia, fundite odores.

COR. *Huc cineri date ſerta iterùm, manéſque pudicos*
Vnda ſalutifero ſupremùm flumine luſtret:

Creſcat

Creſcat odorato myrti de vulnere Amyntæ
Luctus, & in læſo relegat monumenta doloris
Cortice poſteritas, verum teſtantia amorem.
Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos.
LYC. *Huc tumulum decorate iterùm, cineréſque beatos*
Cæruleo, dum fata ſinunt, conſpergite flore:
Stet pyra centenis facibus radiata; Camœnæ
MARGARIDOS *caſum circum, gemitúſque Menalcæ*
Mœſta ſonet, veros ſæclis teſtata dolores.
Fundite funereos, mea lilia, fundite odores.
COR. *Intereà mihi ſancta vale, vale reddita cælo*
MARGARI, *purpureis quæ nunc rutilantior aſtris*
Læta nites; noſtras olim ſolare querelas:
Si quid amor potuit, Natorum dirige curſum,
Lapſantes ſi fors cælo ſpectabis ab alto.
Siſtite perpetuos, mea lumina, ſiſtite riuos.
LYC. *Et mihi ſancta vale, cæli vale ſidus amicum*
MARGARI, *ſidereoq́ ſedens dilecta Tonanti,*
Coniugis ah quondam lacrymas abſterge cadentes,
Maternóſque animos Natis, altamq́ parentis
Jndolem, & ingenuas inſpira pectoris artes.
Fundite natiuos, mea lilia, fundite odores.

IN OBITV
CÆSARIS ESTENSIS PRINCIPIS
INFANTVLI
AD ISABELLAM SABAVDAM ESTENSEM
MATREM
CONSOLATIO.

QVISQVIS *es, immiti qui ſcribere iura dolori,*
Manantéſque potes ſiſtere frontis aquas;
Huc ades, impatiens lacrymis dum fœdat ELISA
Pectus, & ardentes vibrat in aſtra faces:
CÆSARIS *occubitum, vitæ ſolatia, blandi*
Delicias pueri, voce querente gemit.
Sed quis creſcentem cogat ſub iura dolorem?
Luctantéſque pij comprimat oris aquas?
Hei mihi, ſi patrijs tantùm frenatur amoris
Legibus, aſſuetus frangere vincla dolor;
Quò magis ardet amor, magis aſpera tela doloris
Viſcera contorto vulnere dilacerant.

Eſt

Digitized by Google

Eſt amor vna ſibi lex, eſt dolor vna dolori:
Hæc ab amore trahit iura parente dolor.
Ergo dolor, dolor ergo nouas ſuperingere vires,
Maternóſque feri ſanguinolente ſinus.
Sic eat, & Matris iuuet exaudire querelas,
Aurea funereis dum ciet aſtra modis.
CÆSAR *obit, puer ille domus flos integer, heu, heu,*
Matris amor, Patris gaudia, CÆSAR *obit.*
Non intellectam vix vocem enodat ad auras
Blandulus, & fracto murmure mulcet Auum;
Vix conniuenti ſubridens lumine, Matrem
Falſis feſtiuus ludit imaginibus;
Lactea vix tremulo alternat veſtigia paſſu,
Et riſu nouit candidiore Patrem;
Hunc tamen immani leti mihi turbine Clotho
Abripit, heu rabida vulnera ſaua manus!
Non legit impubes Enna Proſerpina gemmas,
Sed iam maturas demetit vngue roſas.
Lactentem ſegetem non damnat falce colonus,
Flaua ſub incuruo vulnere ariſta cadit.
Implumes celsâ non deijcit arbore nidos,
Captat depictas durus arator aues.
Tu pubeſcentem laceras Mors inuida gemmam:
Gemma ſub infantis cortice CÆSAR *erat.*

Naſcentem mare non claudit Solem, at morientem
Excipit vndoſa Tethyos vrna ſinu;
At meus exoriens, primóque in limine cæli
Sol cadit, ante diem præripiturq́; dies;
Quæq́; olim Soli cunas, Aurora ſepulcrum
Inſtruit, atque onus in funere triſte ſubit.
Illa oculos puero ſolita eſt recludere Soli,
Nunc ſingultanti comprimit illa oculos.
Quis ferat hoc? Solem venientem Aurora trucidat,
Exequiaſq́; ſuas Sol gemit exoriens.
Sol mihi CÆSAR *eras, oculis quo Matris adempto*
Heu nox luminibus ſanguinolenta venit:
Sol cadis? ah lacrymæ ſaltem conſternite marmor,
Sol cadet in veſtras, flebile pondus, aquas;
Vix mundum ingreſſus, primaq́; crepuſcula vitæ
Occidis, & retrò cogitur ire dies.
O quoties mecum hæc: Quàm tu quàm clara daturus
Lumina, cùm medio fulſerit axe iubar!
Dum tua, dicebam, ſpatijs adoleuerit ætas,
CÆSARIS *æternus nomina pandet honor.*
Tu proauos, atauóſque puer, tu gentis auitæ
Maior ab integro ſtemmata reſtitues.
In te iterùm releget Mundus monumenta priorum;
Dicar ego tantâ prole beata Parens:

Segni-

Segnitiemq́ ſuam iam ſera redarguet ætas,
Dum tua facta, puer, fama loquetur anus.
Irrita ſed cecidit Matris ſpes, irrita vota
Narraui rapido diripienda Noto.
Spes tecum periere mea, tumulóque ſub vno
Et puer & Matris corda ſepulta iacent.
Hæc Mater repetit, dum ſingultantia verba
Excipit, atque ferox impedit ora dolor.
Sit fleuiſſe ſatis, longo iam parce dolori,
Et ſatis ah lacrymis ſit violaſſe genas.
Non ſic à Phario fugiens peregrina Canopo
Ingemit amiſſum Daulias ales Itym.
Non bis ſepteno ſic mæſta in funere Mater
Obruit vndantes rore cadente ſinus.
Non ſic Alcides Nympharum furta doloſq́;
Plorat, dum querulâ voce laceſſit Hylam.
Non ſic Euander Pallantis vulnera fletu
Abluit, & canas diripit vngue comas.
Non ſic Euryalum Phrygijs exercita fatis
Mater, in hoſtiles flet ruitura manus.
Ah lacrymis iam pone modum; ſat fletus ELISA
Corrupit roſeas imbre fluente genas.
Parce pios lacerare ſinus, dignumq́; Marito
Robur, & infragilem concipe ELISA *animum.*

Quid CAROLI *natam deceat, celſumq́; cacumen*
Aſpice, quo terra conſpicienda nites.
Aſpice quid poſcant ALPHONSI *pectora, quantus*
Coniugis in validâ fronte triumphet honor.
Mors ſine plebeias debellet ſqualida mentes,
Et ſine vulgares ſcindat iniqua ſinus.
Vtendum dederat Natum ſine fœnore cælum;
Vſa es, quid cæli ſidera dura vocas?
Depoſitum iam redde libens, hoc mutua poſcunt
Munera, non certo perſoluenda die.
Omnibus hæc leti pedibus via dura terenda eſt;
Nec fatum fugiet terra fretumq́; ſuum.
Alter vt incipiens in terga reuoluitur annus,
Lucem lux condit, tempora tempus agit.
Funera terra timet, ſenio iam fracta labante,
Viſceribuſq́; ſuis ampla ſepulcra parat.
Fert trepidum leti non euitabile telum
Aequor, & vndoſo verbere ſaxa quatit.
Formidant elementa vices, agitabilis aër,
Flamma leuis, tellus penſilis, vnda fluens:
Et quæ centenis ſubducta theatra columnis,
Inſultant Superis vertice, calce Stygi,
Ipſa ſibi incumbent, vaſtóque cadaueris ictu
Elident vires imperioſa ſuas.

Ipſe

Ipſe ſui victor ruet in ſua funera mundus,
Obruet & cineres vrna ſuperba ſuos.
Ito, & dum cælum ruptâ compage labaſcit,
Communéſque vices orbis vterque pauet,
Sola tuos caſus oculo metire madente,
In te ſolam oculos & tua damna refer.
At puer (heu lacrymæ!) ſubitò ſpes publica vixit,
Et mors incipiens abſtulit atra iubar.
Sed tamen incipiens fuerat lux debita nocti;
Naſcitur in partu vitaq; morſq; pari.
Ac velut aduerſum poſtquam quis cernere Solem
Incipit, à tergo ducitur vmbra ſequax:
Sic vbi purpureas cæli conſpeximus auras,
Naſcitur, & tacito mors venit atra pede.
Attamen haud periit CÆSAR, *cælum aſpice Mater,*
Vnde ſuos blando deſpicit ore puer.
Illic lætus agit redimitus ſidere crinem
CÆSAR, *& aſtriferos lætus oberrat agros.*
Libat inexhauſto cupidus de lumine lumen,
Perpetuam & pleno temperat amne ſitim.
Nec puer, vt quondam, ſed iam maturus, Olympi
Signata æterno fata adamante legit.
Pectus inextinctus depaſcitur ignis amoris,
Gaudet at in flammis vita beata ſuis.

R 3 *Semper*

Semper amat CÆSAR,*ſemper* DEVS *ardet amantẽ:*
Viuit ab alterno ſemper amore rogus.
Ille faces bibit, obtutu defixus in vno,
Pectoráque aſpectu Numinis icta gerit.
Aeſtuat, at dulci reſolutus corda calore,
Nollet ab ardenti longiùs eſſe face.
Et quamuis rapidâ cælum vertigine volui
Sentiat, & celeres ire redire vias;
Sub pedibuſq; licet ſtellas egerminet æther,
Cæruleóſque nouo ſidere pingat agros;
Subiectos quamuis ventos, nubeſq; volantes
Cernat, & heu nimio regna paranda metu;
Hæret inexpletus tamen, & diuina tuendo
Ora, ſuos renouat corde micante rogos:
Expoſitumq; patet diuinâ in mente theatrum,
Spectat vbi inſtabiles orbis in orbe vices.
Venturas legit ambages, implexáque mundi
Sæcula, cæleſti quæ latuere ſinu.
Et lacrymas videt ire tuas; forſánque doleret,
Exulat à ſuperâ ſed ferus arce dolor.
Ergo oculis Mater lacrymas compeſce cadentes;
Non facit ad Nati gaudia tanta dolor.

DE

DE EIVSDEM PRINCIPIS OBITV EPIGRAMMATA.

I.

Vix matutinum ſurgebat Cæsaris *aſtrum,*
Lumine promittens vberiore diem:
Aſt immaturam obnubit mors pallida lucem,
Nec ſinit è medio vibret vt axe facem.
O lucem ſine luce breuem! vix Lucifer ortus,
Solem præueniens Heſperus emoritur.

AD ALPHONSVM PRINCIPEM PATREM, DEVICTIS HOSTIBVS.

II.

Fracti *armis cecidere hoſtes*, Alphonse *triumphas,*
Cæsar *obit, Nati funera acerba gemis.*
Lætabunda refert mors de victore triumphum,
Plectit & è lacrymis gemmea ſerta tuis.
Vince animos Alphonse *tuos, vincetur & illa;*
Victrix Victoris concidet icta animis.
Dextra hoſtem vicit, mortem patientia vincet;
Bis non plorato in funere Victor eris.

III.

Digitized by Google

III.

LVX *micat, & tonitru velox lucem enecat æther,*
Extinctam plorant nubila mœſta facem.
Lux oculis vix nata meis puer occidis; & te
Mî cælum ex oculis, morte tonante, rapit.
Nubila mœſta animi ſi non roratis in imbres,
Qui dignè ploret funera nullus erit.

De eiuſdem imagine alis ornatâ, orbemque cæleſtem altero pede premente.

FORMA *decens, pes aſtra premens, plumaq; volantes;*
Lumina ſi obnubas, numen Amoris erunt.

Aliud.

TERRAM *olim, nunc aſtra premo, circumq; Tonantis*
Ora volo, æterni factus Amoris amor.

Aliud.

ASTRA *vocant puerum ad Superos, quoq; altiùs alas*
Explicet, ecce gradum ſuppoſuere ſuum.

Aliud.

Aliud.

DVM *pedibus cælum tango, cælum emicat aſtris;*
Dum volo quod tangam vertice, Sol fuerit.

Aliud.

DVM *pedibus cælum tango, pes ſuſcitat aſtra;*
Hinc volo ne tactu ſtella ſit vna polus.

AD NESTOREM N.
IN OBITV PATRIS I. C. CLARISS.

IVRA *pater dum cæca aperit, dúmque abdita* NESTOR
Explicat, in legum quæ latuere ſinu;
Iuſtitiæ ſimulacrum ingens, lex viua, ſeuero
(Heu facinus!) Parcæ vulnere preſſus obit.
Scilicet inſultans Lacheſis, Lex omnibus vna eſt,
Occidat vt quondam qui modò vixit, ait.
Hinc ferit inſontem: fatorum legibus ille
Subditus, exemplo iura colenda docet.
Faſſa nefas Lacheſis, Fuerat quis iuſtior illo,
Si moritur leges ne violentur? ait.

Digitized by Google

IN FVNERE BIBIANAE GONZAGAE CASTELONIS PRINCIPIS AMORIS EXEQVIAE.

POSCIT *amor lacrymas, nam lacryma paſcit amorem,*
Qui tantùm in ſalſo viuere fonte poteſt.
Scilicet vt cara referat natalia Matris,
Quæ mare per vultum prouocat, orta mari.
Hinc quòd amat lacrymis tabet GONZAGA *profuſis,*
Ignis & ardentes fluctuat inter aquas.
Rara fides, viget amne rogus, flammâ æſtuat amnis,
Nec niſi per ſalſas proditur ignis aquas.
Abluet his vndis corpus, facibúſque cremabit,
Condat vt exequias cauſſa doloris amor.
Sed quis erit tumulus? lapideſcunt corda dolore
Principis, vt tumulum in pectore ſculpat Amor.
Sculpſit, cordato recubat BIBIANA *ſepulcro,*
Quæq; animum quondam pectora, corpus habent.
Carmen ſcribet Amor: ſublatæ coniugis, hoſpes,
Mortua membra, viri viua ſepulcra tegunt.

AD TARQVINIVM GALLVTIVM SOCIETATIS IESV.

LANGVIDA, ſi poteris, Latios Elegia per agros
Ibis, in amplexus non reditura meos:
Sacra vbi ſepteno ſe tollit vertice tellus,
Quæ fuit heu noſtræ cauſſa dolenda viæ:
Tybris vbi Auſonias mordet fugitiuus arenas,
Voluit & iratas imperioſus aquas.
Mox ſacros venerata lares, regnatáque PAVLO
Limina, GREGORII *culmina nota petes:*
Culmina marmoreâ in cælum minitantia fronte,
Culmina Palladijs ædificata choris.
Excubat in foribus tranquillo lumine cuſtos,
Ceu colat Heſperidum poma cupita, Draco.
GREGORIVS *Tyrio ſpirat ſpectandus in oſtro,*
Laxa vbi ſe ſpatijs explicat aula ſuis:
Occurrent iuuenes, tenui quos Pallas in arte
Educat, & primùm flectere verba docet;
Inde quibus latices aperit, ſiluáſque comantes,
Et iuga Caſtalio nobilitata choro.

Cernere erit cultu quos aſperiore Lycei
Erudit, atque trahit per loca ſenta rubis;
Quos vehit, vt ſpectent nullo qua peruia ſenſu
Abdita ſidereis delituere globis.
Hos fuge, ſic iubeo, vultus demiſſa trementes;
Non facit ad tempus læta Iuuenta tuum.
TARQVINIVM *pete iuſſa meum: ſi fortè tonantes*
Torqueat altiloquo feruidus ore faces,
Muta ſile; vel ſi recubans Heliconis in vmbrâ
Facundum Orpheo pectine pulſet ebur,
Tum quoque muta ſile, numeróſque bibacior hauri,
Queîs ſolet immanes ille mouere feras:
Forſan olorino dediſces carmine luctus,
Forſan olorino in carmine funus ages.
Pòſt vbi ſe thalamo vacuus concluſerit, adſis,
Et mea cum gemitu tradita verba refer:
TARQVINIO *iucunda precor; quem diligis, æger*
Ingemit, & lentâ tabe pereſus abit.
Morbida vis faciles ſenſim populata medullas,
Intentat properam, viribus aucta, necem.
Albida tabentes macies corrumpere malas
Cœpit, & inceſtat luridus ora color.
Feſſa labat ceruix, tuſsis quatit aſpera pectus,
Crura tremunt, cæcum viſcera vulnus alunt.
Flam-

Flammáque paulatim graciles depaſcitur artus,
Abditáque introrſus lumina penè latent:
Et licet attritis ſuccos Epidaurius herbis
Miſceat, immitis permeat oſſa lues.
Hunc ſi conſpicias, forſan mutata paueſcas
Ora, nec aſpectum, qui fuit antè, legas.
Nec ſtudium dedit hoc Iuueni, non cura Mineruæ,
Nec qui dura ſolet frangere membra labor:
Nam neque Socraticis potuit palleſcere chartis,
Nec de Pimplæo pellere fonte ſitim:
Aſt labor, heu, laceræ mentis labor anxius, & quæ
Rebus in anguſtis non animoſa cadit.
Tot gerit ærumnis cumulatum pectus, vt hoſtis
Ipſe etiam victus funera tanta fleat.
Ante diem mœret labefactus cladibus, inde
Ante diem iuuenis cogitur eſſe ſenex.
Ante diem tacitos curis præuertitur annos,
Fors etiam infelix occidet ante diem.
Tempora ſi numeres, iuuenem certè arguet ætas;
Digere per menſes vulnera, Neſtor erit.
Cetera tu noſti: nequit intractabile vulnus
Tangier, ah remoue Muſa dolenda manus.
Lingua ſile; at lædunt inimica ſilentia pectus,
Et dolor incluſus viſcera ſæpè vorat.

 Dum

Digitized by Google

Dum premitur, magis ille premit, frenumq́ ſuperbus
Excutit, & fracto limite quærit iter.
Si cohibes, fremit indignans, pectuſq́ pererrat
Turbidus, & cordis depopulatur opes.
Sic vbi nimboſo vallatur ab aggere flamma,
Diſsipat obſtantes imperioſa moras;
Et raucum per inane tonat, tremulumq́ coruſcat,
Et Regum impatiens tecta ſuperba quatit.
Sic vbi luctantes nimborum in carcere ventos
Aeolus imperio ſaxa ſub alta premit,
Culmina feta fremunt, donec conuulſa fatiſcant,
Certatimq́ omnes quà data porta ruunt.
Sic quoq; dum cordis mentitur gaudia vultus,
Et tegitur riſu nobiliore dolor,
Ima petit, ſenſimq́ vorat præcordia, donec
Victor in ambiguâ fronte trophæa locat.
Jam vicit, iam ſceptra tenet, ſolióque potitus
Regnator miſero plurimus ore ſedet.
Forſitan & poſtquam vitiauerit ora tyrannus,
Impius extremi funeris auctor erit.
Quiq; per vndoſum, lacrymis turgentibus, æquor
Nauta fuit, roſeas ſanguine verret aquas;
Nec ſua, quæ ſinuent poſcet ſuſpiria, vela;
Prodiga vis animæ carbaſa plena feret.

Sit

Sit Superis ea cura; tuos Elegia dolores
Feſſa tace, vulnus diſsimulaſſe iuuet.
Si fera TARQVINIVS *plorabit fata, repende*
Grata vices, merces conſtet amoris amor:
Ille meum poſſet producere longiùs æuum,
Poſſet & optatos continuare dies.
In precibus labor eſt; pretium ſed vile roganti
Creditur, in tuto noſtra locata ſalus.
TARQVINIO *meliora precor; ſic Rector olympi*
Non bibat auerſâ commodus aure preces.

TARQVINII GALLVTII E SOC. IESV AD AVGVST. MASCARDVM RESPONSIO.

VANA *times: trepidis vanum da ferre procellis*
AVGVSTINE *metum: leuis eſt in corpore febris,*
Quæ te ſollicitat. Iubet hoc me credere verſus
Amne fluens puro, & nitidis Elegëia verbis
A te miſſa, modò qua me conuenit in Vrbe.
Illi ſuccus ineſt, & amabilis vndiq; fulget
Ore color: non hac ſpecies eſt carminis ægri,
Non habitus. nam cui peſtis depaſcitur artus

Leti-

Letifera, & ſtagnat putris intra viſcera ſanguis,
Illi etiam ſtrigoſa cadunt & pallida venis
Carmina, ſupremum auctoris teſtantia morbum.
Viue adeò; & meliora olim ſperare memento,
Præſertim exemplo doctus ſcribentis amici,
Quem miſerâ iuuenem Cagnatus tabe pereſum
Reſtituit Muſis, & vita reddidit alma.

CHRONOPOEIA
SIVE
DE FVGA TEMPORIS;
AD SOCIOS.

ANNVS obit, Socij, lacrymaſq; in funere noſtras
Prouocat; in lacrymas corda ſoluta fluant.
Scilicet ille trucis moritur velut hoſtia prolis:
Nam parit, à partu truditur inde ſuo.
Poſtumus exactum quò ſæuiat annus in annum,
Armauit celerem, nocte ſequente, diem.
Illa vmbris, hic luce ferit; fugit annus vtrumq;
Saucius, obliquum & ſanguine pingit iter.

Multâ

Digitized by Google

Multâ etenim iã parte minor (partẽ abſtulit vmbra,
Lux partem) ſtimulis angitur ipſe ſuis:
Et velut Abſyrtum iam Phaſis Iaſonis hoſpes
Diſsipat, vt patris vota ſequentis alat;
Relliquias ſic ille ſuas nunc diuidit vmbris,
Nunc luci, & profugus pergit inire viam.
Totus vt intereat, nullumq́; euadat in orbem,
Mutatis properat Lucifer albus equis.
Aurora ſtabula alta ſubit, roſeóque flagello
Phoſphorus auricomi terga iugalis arat;
Inde fatigatum nota ad præſepia mittit,
Nocturnóque volat Heſperus altus equo;
Iamq́; terit pedibus calcem morientis, & inſtat,
Vltima cùm gelidus fata December alit.
Fortè vices, cæli mediâ in ſtatione, tenebat
Septima nocturnis Hora miniſtra choris;
Tempore cùm fractum, longáque ambage viarum
Cernit anhelantem cæca per arua ſenem.
Iamq́; labat, iam ſponte perit non integer, & vix
Computat extremis membra voranda rogis;
Agnouit vultum, capitiſq́; opprobria cari,
Et fatis tremuit collacrymata feris.
Mox lentos miſerata obitus, tractúmque ſupremi
Funeris, in proauum forcipe grata furit.

Vixiſti, parat exequias, quibus, Anne, quieſcas:
Multa ſed, heu pietas, impedit orſa ſoror.
Prodimur, exclamat, venienti ſupplicat anno,
Et me cum proauo ſauciat hora meo.
Ecce ego iam morior, fato teſtata ſequaci
Deberi exacto funera noſtra ſeni;
Annus at exoriens ſolio trudatur auito,
Nec nati fugiat tela cruenta pater.
Dixit, & in tenues abiens euanida nubes
Temporis ad tumulum ſollicitauit iter.
Eſt locus, occiduo quo ſeſe margine Tethys
Explicat, & Phœbi tarda reclinat equos;
Annum vltra, Solémque vltra, caliq; labores,
Nullus vbi alterno voluitur orbe dies:
Nulla rotas ducit ſinuoſo vortice flamma,
Nulla per herboſos labitur vnda toros.
Nam neque conſtanti libratur pondere tellus
Penſilis, aut flores educat aura iugis.
Scilicet haud terram ſpirabilis halitus ambit,
Parca nec alternas implicat atra vices.
Antrum aui ſedet exeſum, ſqualentibus vmbris,
Aeternóque gerit terga ſepulta ſitu.
Intima non auro radiant laqueata micante
Tecta, peregrinis Dædala tecta notis.

Sed

Digitized by Google

Sed neque marmoreus ſuſpenſus in aëre fornix,
Subdita congeſto pondere ſaxa premit.
Sectilis haud varia diſcriminat arte lacunar
Ordine digeſtus verſicolore lapis.
Non malè compactos redimunt tectoria muros,
Deceptura ſuis lumina pura dolis.
Non caſtigatis rident emblemmata ſaxis,
Nec tremit artifici penſilis herba manu.
Non flauo ludunt albaria culta metallo,
Textile non clauos pondere laſſat onus:
Sed ſpecus horrendum vaſto ſe pandit hiatu,
Cuius in immani perlegis ore chaos.
Semper hiat, ſempérque patet venientibus antrum,
Inde reuerſuris clauditur enſe via.
Scilicet in foribus ferali lumine fatum
Excubat, & ſegnes vrget in antra gradus:
Saxa iacent diſiecta ſitu, cariéque labaſcunt,
Craſſáque ſudantes permeat vnda petras.
Quis neget in terras tacitam ſæuire ſenectam,
Saxa ſenectute dum labefacta tremunt?
Clepſydra multiplici deducta coronide, cingit
Speluncam, fati ſæpè agitata manu:
Siue leues verſans cineres præludia mortis
Monſtret, vt in cineres membra caduca vocet;

Seu mage guttatim conuerſa reciprocet vndas,
Temporis exitium quò lacrymata fleat.
Aſt vbi teſtudo faſtigiat atra cauernam,
Voluitur æterno flexilis orbe rota:
Hanc premit aßurgens alis trepidantibus æuum,
Et ſtabilem inſtabili librat in orbe gradum.
Impius inde ſenex venientes deſpicit annos,
Quámque ſit aſsiduo ſemita trita pede.
Acta bis octonis cùm ſæcla meatibus, annum
Iam declinantem cæca ſub antra vocant;
Euolat hic tetro explorans ſua luſtra ſepulcro
Ipſe, quibus deerat vltima meta tribus.
Huius in aduentus annorum excita meorum
Excepit fratrem turba ſepulta ſuum.
Protinus exclamo: Vitæ ô mendacia noſtræ;
Quanta ſub hoc vita nomine monſtra latent!
Sic ergo tumulata aui pars optima noſtri
Clauditur, extremam flebilis ante diem?
Sic viuens tumulo excipior, partimq́; ſuperſtes,
Poßum ego productor funeris eſſe mei?
Sic ſpe decipior, ſic mortem in pectore condo,
Sic ego pro vitâ funera lenta traho?
Sic ætas gemet ætatem, ſic tempora tempus,
Sic canet exequias præfica vita ſuas?

Anni,

Anni, labentes anni, flos integer æui,
Quæ vos immiti meſſuit vngue manus?
Tam citò funereus vos turbo à ſtirpe reuulſit,
Turbo breues Veris depopulatus opes.
Tam citò creſcentis mors gaudia prima iuuentæ
Diſpulit, in vetitas ingenioſa neces?
Anni, florentes anni, decor irritus æui,
Et male conſtantis ludicra forma boni.
Veſtra quid (heu facinus!) iam pubeſcentia vota
Protriuit rabido Parca proterua pede?
Vos quoq; cur paſſu fugiſtis in antra ſilente?
Nec libuit veſtra nos monuiſſe fuga?
O mundi illecebras, vigilantum ô ſomnia! Vita,
Quanta ſub hoc vitæ nomine monſtra latent!
Dicimus, heu, vitam, mediâ vel parte ſepultam,
Vel nondum natam, credula turba malis.
Ducimus ignari, atque alimus ſpirabile funus,
Pignus & expectat tumba adaperta ſuum.
Maiores abiere, annorúmque anteit ordo;
Et vitam, funus continuaſſe, vocant.

Digitized by Google

ROBERTO FONTANÆ SANCTI LVCAE PRAEPOSITO.

AVLICAE VITAE DEPLORATIO.

ECQVIS *erit noſtro modus, ô* ROBERTE, *furori,*
Quæ dabitur miſeræ meta ſecunda viæ?
Abripimur cæci, ſcopuliſq; allidimur Aulæ,
Et tamen in portu credimus eſſe ratem.
Semper ab incerto curarum impellimur æſtu;
Attamen ignaros occupat alta quies.
Blandimur ventis, decimas amplectimur vndas,
Oſcula conuulſo figimus vſque mari.
Naufragio inſtamus, iuuat occurſare procellis:
Nec ſatis ad mortem eſt vel meruiſſe mori?
Iungimus inuentis quæſita pericla periclis,
Pullulat è medio ſæpè labore labor.
Nectar in æquoreis temulenti quærimus vndis,
Et ſitis epoto ſæuit adulta ſalo.
Credimus Arctoâ pontum proſcindere luce,
Aut ſub fraterno ſidere inire viam:

Et

Et tamen Olenijs puppis mea vapulat Hædis,
Acta ſub enſiferi verbere cymba tremit.
Scilicet hoc etiam cælum tonat; igneus Aulæ
Iuppiter intorquet tela triſulca manu;
Cumq́; oculo irridens ridet fortuna doloſo,
An mihi Ledæum credis adeſſe iubar?
Nauplius illuſtrat mihi ſaxa Capharea tedis,
Vt paret exitio ſæua theatra meo.
Cur tantum ſibi dura putat fortuna licere,
Fingat vt arbitrio fata vicéſque ſuo?
Scilicet illa ſedens apici ſuperincubat Aulæ,
Et quatit ambiguâ ſceptra ſuperba manu:
Non æquo exagitat cæcas examine lances,
Vna ſibi leges ſponte proterua facit.
Hunc premit, æthereis imponit turribus illum;
Lubrica perpetuo turbine verſat opus:
Impellitq́; rota ſemper verſatile fatum,
Quod malè compactus digerit arte labor.
Ipſa ſibi alternis facibus deſcribit Olympum;
Nec currum Arctois inuidet, Vrſa ſibi eſt.
Cælum cui libuit ridente illuminat aſtro,
Vt pluat è prono ſidere ducta ſalus.
Cui libet, infames portendit lumine clades,
Semper in immeritas ambitioſa neces.

Hunc

Digitized by Google

Hunc alit æternis rediuiuum angoribus, illum
Proterit immiti ſemper iniqua pede.
Hunc ferit ignotæ perculſum laudis amore,
Et ſua fucato melle venena linit.
Hinc ea quem carpit iucundo vulnere peſtis,
Sponte fouet tumido vota ſuperba ſinu.
Ingentes agitat, tormenta immania, curas,
Tortor idem, vindex, ſuppliciúmque ſui.
Imbuat vt Tyrio metuendas murice veſtes,
Venarum exhaurit ſanguinolentus opes.
An tanti eſt chlamydem vermis ſaturaſſe cruore,
Sanguinis vt libeat non meminiſſe ſui?
Sudatæ luces, vigilatæ ad lumina noctes
Mortis in excubias fata morantis alunt.
Nam nondum optato veſtis ſcintillat in oſtro,
Pallidus atrati candicat oris honos.
Nondum purpureo lucent ſub fulgure crines,
Intempeſtiuis albicat ipſe comis.
Sic, heu, canities, dum purpura quæritur, ora
Occupat; exequijs conuenit ille color:
Nempe canens domini falſus qui mulſerat aures
Canitiem in querulo funere cygnus habet.
Pinge cruore genas quiſquis ſic deſipis, oſtro
Non poterit tingi nobiliore chlamys.

Quot

Digitized by Google

Quot riſum intereà lacryma mercantur herilem?
Jridis, ò riſus, lux breuis inter aquas.
Quot facilem domini redimunt ſuſpiria vultum?
O vero fallax aura redempta metu!
Gloria fortunæ quot per diſpendia creſcit?
O chalybis duro vulnere clara ſilex!
Sic certo petitur requies non certa labore,
Fallax è veris ſordibus extat honor.

* * * * * * *
* * * * * *

AD AVGVSTINVM MASCARDVM

PAVLVS RVBEVS COMES,

De eius Orationibus in Principum funeribus.

HEROVM *querulâ decoras dum funera laude,*
Natalem famæ ſurgere cerno tuæ.
Vox tua funeribus mage clara refulget, vt ardet
Nubibus oppoſitis ſol meliore comâ.
Biſtonius potuit Vates deducere ſaxa
Carmine, tu ſolâ pectora voce trahis.
Carmina ſi nudis poſthac ſermonibus addes,
Qua tua vox traxit, cantus ad aſtra vehet.

V AV-

AVGVST. MASCARDI RESPONSIO.

Q VÆ *cunā à tumulo, lucem mercatur ab vmbris,*
Vitam, Fama, diu filia Mortis aget?
Viuet, at exanguem ſpirabit Nata Parentem,
Et Natam implebit tetra Parente Parens.
Fama mori viuens, Mors viuere mortua diſcet,
Sic ego nec viuam, PAVLE, *nec emoriar.*

ALIA RESPONSIO.

E XORIENS *mœſtas mea vox impingit in vrnas,*
Et reiecta gemit vocis imago mea.
Vix nata illacrymans alienum præfica fatum,
Vagitum à cunis auocat ad tumulum.
Sic nata in lacrymis, ſic creſcens fletibus, auras
Vox ferit, & ſortis vulnera noſtra docet.

IN OBITV
BERNARDINI SEMPERVIVI
E SOCIETATE IESV,
POETÆ ET AMICI SVAVISSIMI,
EXTEMPORALIS EIVLATIO.

E T *meritò; quis enim cogat ſub iura dolorem,*
Ne ruat effuſis panè cruentus aquis?

Siccine

Digitized by Google

Siccine letiferis obnoxia pectora telis
Vulnerat immiti Parca ſuperba manu?
Siccine concepto carorum corda fatiſcunt
Funere? ſic febris ſanguinolenta furit?
Quæ noua Tartareis erumpens peſtis ab antris
Caſtos ignoto funerat igne ſinus?
Quæ noua tam dulces ſenſim depaſta medullas
Flamma, peregrino conficit ora ſitu?
Confice corda dolor; modò corda perire dolore,
Vulnere quæ tanto iam periere, queant.
Hoc etiam ſibi ſic voluit Mors ſæua licere,
Vt SEMPER-VIVAS *rumperet atra dies?*
Quis neget æthereis laurus ſuccumbere flammis,
Dum ferus irato Juppiter igne tonat,
Quando etiam hos crines viduarũt fulmina lauru,
Et SEMPER-VIVVS *igne flagrauit honor?*
Scilicet vt nobis, tibi SEMPERVIVE, *periſti,*
De SEMPER-VIVO *vertice vita fugit.*
Laurea Pierides damnarunt ſerta cupreſſo,
Et tibi conuulſas explicuere comas.
Lympha loquax vatum lacrymarum efferbuit æſtu,
Vt gemeret miſero naufragus amne dolor:
Auráque facundas ludens peregrina per vmbras
Dediſcit proprios, icta dolore, ſonos.

 Forſitan

Forſitan & noſtris gemit auxiliaribus vndis,
Qui tibi Caſtalio fluxerat amne liquor.
Forſitan & noſtro ſuſpirant flamine venti,
Mixta quibus Pindi docta remugit auis.
Sic SEMPER-VIVIS? *proh nomina vana, periſti!*
Sed SEMPER-VIVI *cauſſa doloris eris.*
Hæc olim querulo iactabam carmine ad auras,
Dum mea confoderet viſcera plaga recens.
Hæc olim mecum curâ meditabar inani,
Dum tumida impatiens frangeret ora dolor.
Nunc curas renouant agitata inſomnia mentis,
Vulnus & inſtaurant altera tela meum.
Nunc mouet in tacitis bacchantes oſsibus ignes,
Et iubet atratam ſcindere Parca lyram.
Nunc nũc vincla animus domat imperioſus, & obex
Rumpitur iniuſsis panè ſepultus aquis.
Non ſecus ac tepido gemmata per arua meatu
Lactat odoratas garrula lympha roſas;
Si tamen aſsiduis lacrymans ruat imbribus æther,
Diſsipat oppoſitas vnda ſuperba moras.
Vel ſi Phœbeo pater Appenninus ab igne
Concipiat rapidas, Aetna ſecunda, faces,
Aeſtuat, & ſenſim madidus ſudore niuali
Aut bellum aut fluuijs vaſta tributa parat.

Sic

Sic eat; æternis iuuet indulgere querelis,
Quas ciet heu tanto funere merſa chelys.
BERNADINE *cadis votorum cura meorum,*
Atque mea in cælum prodita corda rapis?
Cur fugis ah ſanctis non inficiandus amicis,
Cur tua tam ſubitò lumina Parca premit?
Cur ſacra quæ docto tibi luſit in ore Camœna
Tabida non potuit flectere tela necis?
Cur immaturos Clotho tibi demetit annos,
Et mihi diuinas improba claudit opes?
Ite oculi in lacrymas, modò lacryma ſola ſuperſit,
Quæ riget arentes ſæpè vocata genas.

* * * * * * *
* * * * * *

AVGVSTINI MASCARDI

SILVARVM LIBER QVARTVS DE REBVS SACRIS.

IOANNI MASCARDO FRATRI.

BENEVOLENTIÆ ſunt hæc monumenta, quæ mittimus, non ingenij, Frater ſuauiſſime; in ipſo videlicet adoleſcentiæ meridie ſubito quodam & intempeſtiuo calore profuſa, verùm conſultò tibi à tui amantiſſimo conſecrata. Neque enim tu is eras, quem nos ſine

Digitized by Google

ſine piaculo præterire poſſemus, & vni potiſsimùm tibi conſtare temporis ratio debebat, quod in hoc ætatis flexu, in amœniorum literarum ſinu, quatenus per annos licet, non otiosè conterimus. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPITHALAMIVM
SACRVM.

FOEDERA *nectit amor, quis fœdera*
rumpat amoris?
Ille amor, æthereâ qui ſpicula torquet
ab arce,
Halitus ille Patris, Nati qui corda
laceſsit,
Atque Patris pectus reuoluto vulnere figit:
Ille ſuum meditatur opus, cælumq́; pererrat
Imperio, mentéſque nouos tranſcribit in vſus;
Vt cælo terram, ſuperis permiſceat imos.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Cernis vt obſtrictos genialibus ignibus arua
Incipiant laxare ſinus meliore iuuentâ?
Cogit amor, veteréſque nouat telluris amores;
Sopitáſque animat rigido ſub cortice gemmas.
Scilicet ardet amor, cælum ardet, & ignea fundit
Tellurem tactura ſuam ſuſpiria cælum.
Illa coronatis incedit læta capillis,
Et purum ſine labe polum miratur amanter;
Fundit

Fundit odoratis florum ſuſpiria labris,
Picta humeros, variata ſinus florentibus herbis,
Aemula ſidereos ad pugnam prouocat orbes:
Aut potiùs dum ludit amor, ſua munera cælo
Diuitias animoſa ſuas oſtentat amanti.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Ardet amor, Deus ardet amor, ſoliúmque relinquit
Sidereum (ô pietas!) noſtras effuſus in oras:
Virgineos petit amplexus, puráque ſub aluo
Conditur auguſtum contracto Numine Numen.
Et Numen contraxit amor? rapuitq́; triſulca
Fulmina, queîs populos famulumq́; exterret Olympũ?
Ille latet, Deus ecce latet, ventriſq́; tenebris
Acer amor iam iam noſtras aſpirat in auras.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Mater amat Virgo, Nati dum ſentit amores;
Tota micat, ſed Sole micat, quem condidit aluo:
Cynthia fraterno ſic fulgurat aurea vultu.
Maiorem vehit orbe orbem mea Luna minori,
Orbem agit in paruo latitans Sol igneus orbe.
Quin etiam clauſus claudentem deuehit orbem,
Luciferiq́; ſui fulget Sol lucifer ipſe.
Luna ſuo graditur nitido pleniſsima Sole,
Lucidáque ambroſijs diſpellit crinibus vmbras,

Viuidaq; ambroſium nobis inſpirat amorem.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Orbis amat, rurſuſq; nouos recaleſcit in ignes,
Nec timet Auſtrales pennis pluuialibus iras,
Nimboſamq; hiemem minitantes deſpicit Hœdos.
Scilicet illa fuit, fuit heu miſerabilis ætas,
Letifera cùm dira homines contagia culpæ
Infecêre, quibus pudibunda reſorbuit æther
Lumina, tellurîſq; oculis ſubduxit Olympum:
Aëris hinc dubij repetebant iura, pruinis
Horridus hinc Scythicæ violentior arbiter vndæ
Sarmaticis inuectus equis, Notus inde, capillis
Cuius ab incanis pendentia nubila rorant:
At Notus Aeolijs Boream compreſſit in antris,
Scilicet inductas pellat ne flamine nubes,
Quas iterùm vltorem iuſſus componit in vſum.
Protinus ingemuit, lacrymaſq; effudit Olympus
Luce quaterdenâ, donec reſolutus in æquor
Abluit impuris flagrantia ſæcula flammis;
Criminaq; ac terram lacrymis tumulauit ijſdem.
At nunc ignis adeſt: Deus eſt, qui lapſus Olympo
Mœſta ſuis mundi detergit lumina tedis.
At nunc orbis amat: nullus qui fœdera pacis
Sanciat, in madidis pingatur nubibus arcus.

Belliger

Digitized by Google

Belliger eſt arcus: pacis ſed pulchrior Iris
Nuntia, Virgineâ miſcet ſub nube colores.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Orbis amat, roriſq́ bibit fecunda mariti
Pabula, dum tacitus conſpergit vellera nimbus;
Nec timet igniuomas, Naturæ crimina, nubes.
Scilicet illa fuit, fuit heu miſerabilis ætas,
Cùm ſcelerum ramoſa lues graſſata, tonantes
In ſua damna faces, cælo indignante, popoſcit.
Hoſpita tunc primùm bacchata per aëra flamma
In pluuias reſoluta nouas, obſcœna ſonanti
Flumine depaſta eſt ſcelerata mœnia gentis:
Erubuit Natura, videns ignita fluenta
Sulphureis vndare vadis, maculoſaq́ turbæ
Sæcula ſacrilegæ calidis trepidare ſub vndis.
At nunc rore madent placido ſub ſideris igne
Vellera, & arridet genialiter aura ſuſurro.
Teſtis erit tellus, nullum quæ ſenſit aratrum,
Et tamen intumuit cælo contenta colono;
Et campi paritura fouet ſub pectore florem.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
Aliger hoc monuit, dum ingentia iuſſa Puellæ
Detulit, expediens magnarum exordia rerum.
Ibat inocciduo radiatus tempora Sole

Egregius Iuuenis, roſeo ſpectabilis ore,
Candidulas cui nulla genas lanugo colorat:
Educat intonſis glomerabile crinibus aurum;
Pars imbres imitata fluit, trepidóque decenter
Sulco findit ebur, quo ceruix nititur alta;
In ſpiram pars lecta nitet, velut infula Regis;
Pars ludit vibrata micans, auráſque laceſsit:
Scilicet ad ſpeculum diuinæ mentis, honeſtè
Comitur, errantem cogens ſub iura capillum.
Cærula ſidereis diſtincta coloribus, armos
Veſtis obit tranſuerſa, vitro fulgentior albo;
Dum fluit, ad ludum ſinuoſis flexibus auras
Prouocat, & Zephyris trepidans inſultat amicè.
Candida ſquallenti vincitur ſura cothurno:
Alba habiliſq́; humeris dependet pluma decoris,
Aureolis ſimul ac roſeis interlita gemmis.
Virginis in thalamis hic conſtitit Aliger, alta
E cælo mandata ferens, ac fœdera pacis.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?
O niueas ſine labe dies! ô ſæcla metallo
Fuſa nouo! ô roſeos reuolutis ſolibus annos!
In terris Deus eſt, & fœdera ſancit amoris.
Ite igitur Solymi per gaudia veſtra beati,
Ite, nec obſcuris vitientur nubibus auræ;

Sol

Digitized by Google

Sol flammâ propiore calet; Sol igneus orbem
Conficit in terris, ſigniſq; recurrit amoris.
Fœdera nectit amor, quis fœdera rumpat amoris?

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE EMBLEMATA.

IRIS POST NOE DILVVIVM.

ARDOR *habet terras, vltricia flumina cælum*
Excutit, & ſcelerum comprimit vnda faces.
Inde micat Phœbi depicta coloribus Iris,
Fœderáque in pluuio vellere ſcribit amor.
Sol Pater eſt arcus, Nubes eſt Mater; vterque
Procreat, in fœdus ignis & vnda coit.
Sol Deus eſt, Virgo Nubes, tu pulchrior Iris
CHRISTE: *quis hæc rumpet fœdera tanta furor?*

MALA PVNICA ET MYRTVS.

Ex Pierio.

PVNICA *mala vides, & olentẽ funera Myrtum,*
Tam benè iuncta fibris, quàm malè iuncta loco;

Digitized by Google

Radices etenim ſubterſerpentia Myrti
Mala petunt, tantum fœderis vrget amor.
Radici radix adnectitur, vtraq; tandem
Arbor ab alterius viuere diſcit ope.
Mala Deum referunt; nos Myrtus: nectimur ambo,
Alter in alterius viuimus inde ſinu.

RAMVS ALIENAE ARBORI INSITVS.

GERMINAT *in rigido peregrinus ceſpite ramus,*
Quem ligat in fœdus docta ligare manus:
Hoſpita non patriâ pendent ex arbore poma;
Et natura rubet, dum videt artis opus.
Et Deus æthereum mortali in cortice ramum
Inſerit, & pacis fœdera tractat amans.
Arboris hinc pomum de ſtipite Virginis orbis
Colligit; è mortis ceſpite vita fluit.

NAVPLIVS PISCIS IN CONCHA.

Ex Plinio.

NAVPLIVS *in curuâ, quò ludat in æquore, conchâ*
Conditur, it viuo remige viua ratis.
Hic regit, illa vehit; ſocio ſic gaudet vterque
Fœdere, quod nectit tuta in amore fides.

Virgi-

Virgineam ingreditur concham Deus, illa latentem
Deuehit, hic cymbam per freta ſalſa regit.
Ponite flabra Noti, manſueſcite marmora; Naui
Ac Nautæ Rector vela miniſtrat amor.

AMOR CHAOS DISTINGVENS.

Ex Heſiodo.

INDIGESTA *iacet moles; terram opprimit aër,*
Flamma ſubit, tellus eminet, vnda ſalit.
Aſt amor hanc animans diſtinguit, rurſus in vnum
Miſcet; ſtant certâ mixta elementa fide.
Nos immane chaos cælo ſeiunxit, Amoris
Integrat en fœdus ingenioſa manus.
Terra Deo, Virgo Matri, mortalis Olympo
Miſcetur, vita mors ſociata viget.

DELPHIN PVERVM DORSO VEHENS.

SVBDITVR *infanti ſinuoſa per æquora Delphin;*
Frena puer ducit, marmora piſcis arat.
Mutuus vrget amor, facibuſq; caleſcere lympham
Cogit amor, pelago qui dare iura poteſt.
Virgo vehit Natum, Natus regit ipſe vehentem;
Mutuus alterno fœdere creſcit amor.

Frigida

Digitized by Google

Frigida iam poteris tellus ardeſcere flammis:
Scilicet in medio viſcere flamma natat.

SOL IN VIRGINE.

DVM *ſubit auricoma ſedem Sol Virginis aureus,*
Fecundum obliquo tramite ſignat iter.
Hinc pubeſcentes flaueſcere cernis ariſtas,
Pomaq; Sidonio tincta rubere croco.
Virginis in gremio ſedem iam figit Olympi
Arbiter, in fœdus quem ſociauit amor.
Fructus terra feres lacrymarum fertilis imbre;
Dum cælo pandis viſcera, Sol Deus eſt.

EPIGRAMMATA

DE EODEM ARGVMENTO.

I.

FOEDERA *nectit amor, quis fœdera rūpat amoris?*
Fœdera vix poterit rumpere amoris amor.
Sanciet hæc olim quino de vulnere ſanguis,
Quem fundet duro in ſtipite fixus amor:
Sanguine ſcribet amor, calamo ſcribentur amoris;
Charta amor, atque erit in fœdera fœdus amor.

O amor,

Digitized by Google

O amor, ad tantas neſcit qui ardere fauillas,
Frigidus ah dicat, Neſcio quid ſit amor.

II.

FOEDERA *nectit amor: quis fœdera neſcit amoris?*
Fœdera quò diſcas, ſiſte Viator iter.
Terræ hodie Cœlum, Mors Vitæ adnectitur; inde
Mors diſcet ſemper viuere, Vita mori:
Dumq́ue petit terras Chriſtum comitatus Olympus,
Iam Cœlum fuerit, quod fuit ante Solum.
Vita vale, Cœlumq́ue vale: mihi Terra ſuperſit,
Ac Mors, ſi tantum Terraq́ue Morſq́ue poteſt.

III.

FOEDERA *nectit amor: tonitru qui nubila rauco*
Increpat, anguſto clauditur orbe puer.
Fulmina quis metuat? lymphas quis in aſtra minātes?
Dum paruâ Numen nube coarctat amor.
Fulmina erunt oculi quondam, ſuſpiria flammæ;
Vagitus tonitru, lacryma fuſa fretum.
Iſta meam nauim tempeſtas mergat, in iſtâ
Fortunata cadet naufraga puppis aquâ.

Digitized by Google

IV.

FOEDERA *nectit amor: quondã qui lentus amabat,*
Nunc amet, & caſto in pectore creſcat amor.
Creſcat amor, pennáſque ſuas amor explicet ales,
Corda hominum pennis ſidera ad alta vehens.
Ales amor poſuit niueo ſub pectore nidum,
Et cubat in niueo pectore pullus amor.
Claude ſinus mea Virgo, ne tuus auolet ales;
Sed nequit ah ſedes linquere amoris amor.

V.

FOEDERA *nectit amor: leges quis ſcribat amori?*
Lex amor eſt exlex, & ſibi iura facit.
Hinc ſine lege Deum noſtras effudit in oras;
Jllius inde Deus iura ſecutus, homo eſt.
Eſt ſine lege Parens Virgo; quis legibus vti
Audeat? ah ſemper lex ſit amoris amor.
Tunc ſine lege mihi liceat ſi occumbere, Olympi
Oſtia, quæ claudunt iura, recladet amor.

VI.

FOEDERA *nectit amor: thalamos conſpergite amãti*
Floribus; in caſto pectore ſponſus adeſt.

Sponſus

Sponſus adeſt, Virgo thalamos inſtruxit odoros,
Dulcia deq; roſis mella recondit amor.
Forſan apes amor eſt; precor, ah mea pectora pungat,
Dum ſua confixo in pectore mella locet.
Mella haurit Virgo, dum ſpicula ſentit amoris;
Icta gemit telis, oblita melle canit.

VII.

FOEDERA *nectit amor: cæcum qui finxit amorem,*
Cæcus erat; mentes cordáque cernit amor.
Lynceus eſt amor, atque oculis ſua tela coruſcis
Implicat, in vulnus ingenioſus amor.
Virgineum cor vidit amor, viſúmque probauit,
Vulneráque impreſſit lumine mixta ſuo.
Splendor erit ſanguis tali de vulnere: Virgo
Frange ſinum, vt meliùs ſanguinolenta mices.

VIRTVS ALTISSIMI OBVMBRABIT TIBI.

VIII.

FOEDERA *nectit amor: tremulis ſuperincubat alis*
Matri amor, at calamo corda pudica ferit.
Vmbram ala, dat penna faces; Virgo ignibus ardet,
Nam tepida alarum ventilat aura rogum.

Aura fouet flammas, ſuſpiria prouocat ignis;
Alterum ab alterius robore robur habet.

IN VNO OCVLORVM TVORVM, ET IN VNO CRINE COLLI TVI.

IX.

FOEDERA *nectit amor: venator dura Tonanti,*
Dum cadit è cælo, retia tendit amor;
Et ſua tela gerit: colli ſunt retia crines,
Tela oculi; his Virgo conſpicienda micat.
Retia ſi franget, dabit eminus illa ſagittas;
Spicula ſi temnet, retia tendet amor.
Non fugit, mea Virgo, Deus; iam brachia vinclis
Inſerit, atque tuo vulnere pectus hiat.

X.

FOEDERA *nectit amor: puerum qui credit amorē,*
Fallitur, ante chaos ſæcula duxit amor;
Protinus & didicit certas vibrare ſagittas:
Sed pretioſa ſuo eſt ipſe medela malo.
Vulneribus permiſcet opem: nam ſpicula flore
Induit, aſt Virgo vulnere puncta gemit.
Virgo tace, flos vulnus erit; confixáque corda
Veris opes, multo flore animata, dabunt.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVS D. THOMAM ALLOQVITVR.

DVM *ſpectas lacero quinas in corpore plagas,*
Perlegis, heu, ſceleris ſcripta cruenta tui.
Non ſatis eſt vidiſſe oculis? mea vulnera tange,
Tanget duritiem perfida dextra tuam.
Tange tamen, tactúmque oculo comitare ſequaci,
Eluat vt facinus dextra oculúſque ſimul.
Inde bibet flammas oculus, quibus actus in vndas
Effundet rigido corda ſoluta gelu:
Inde adamas cordis cedet; nam vulnera poſſunt
Sanguine duritiem frangere perfidia.

DE BEATO IGNATIO LOYOLA SOC. IESV FVNDATORE.

SIDERA *dum tacitis* IGNATIVS *ambit ocellis,*
Penè ſuos felix perdidit in lacrymis.
Ingemuit cælum extincta diſpendia lucis,
Atque, Meos, inquit, iam tibi cedo oculos.
Vera fides, ſpectas? oculata cadauera fulgent;
Multáque pro gemino lumine ſtella micat.
Si tam felici ſuccedunt fœnore merces;
Vt cæli inueniam ſidera, perdam oculos.

DE EODEM.

LVMINE *dum cælum Pater inſpectaret amanti,*
Quis dabit, ah, dixit, ſidera poſſe rapi?
Patrem etiam cælum inſpexit, paritérque flagrauit;
Et, Rapiam te mox ſidera ad alta, refert.
Aſtra Patrē rapiunt, rapit & Pater aſtra viciſſim:
Diſce vices, cælum ſic rapit, & rapitur.

DE EODEM.

FREGERAT *infenſos armis* IGNATIVS *hoſtes,*
Preſſerat & duro membra proterua iugo;
Et Stygias etiam ſuperarat Marte phalanges,
Reſtabant ſummo bella mouenda polo:
Audax bella mouet, vincit, caloq; potitur,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Protinus ad tumulum famulantia ſidera mittit,
Et iubet excubijs inuigilare ſuis.

CHRISTI FLETVS AD LAZARI TVMVLVM.

LACRYMA *quanta cadit? vitalis marmora roris*
Semina concipiunt, non tumulanda ſinu.
Cogitur in gemmas humor, fit concha ſepulcrum;
His deplorati funera CHRISTVS *emit:*

Aut

Aut etiam arentes vitali in ſtipite fibras
Lacryma fecundis viuere cogit aquis.
Sed tamen (heu vita præſagia mœſta caduca!)
Obruit ex oculis labilis vnda iubar;
Nec purus ſine labe nitet Sol CHRISTVS; *in vmbras*
Deſinet, exoritur quæ ſine Sole dies.
Saluete intereà pretioſa fluenta ſalutis,
Quæ vel ſanguineis præfero fluminibus:
Illa etenim CHRISTI *lacero de corpore manant;*
Sed tamen expreſſit vos amor, illa dolor.

SIMEON.

AEGRA *ſenex vix mẽbra trahit iam debita morti,*
Et vitam Infantem, pondera cara, gerit:
Inde vocat Mortem rediuiuus. ſcilicet illa
Non ſatis in noſtros ſæuit iniqua ſinus?
Sponte volat; ſed fortè ſenem iuueneſcere cernens,
Ne Mors incipiat viuere, cauta timet.
Nam ſi iniuſſa ſenem fatali vulneret ictu,
In quo Vita ſedet pectore, Mors quid aget?

IOSVE.

STRENVVS *immanes* IOSVE *dum demetit hoſtes,*
Nox vmbris facinus claudere cæca parat.

An

An potiùs victorem oculis vt pluribus æther
Cerneret, vmbriferos ſollicitauit equos?
Vmbrarum-ne ſuis Princeps tentoria pandit,
Lucis vt eludat ſubdolus arma timor?
Sol conſiſte tamen: ſeu te ſtupor illiget amens,
Et iubeat tanti cernere facta Ducis,
Lampada ſeu magis imperio ſuſpendat Olympus,
Scena theatrali quò micet aucta face.
O felix ductor, cœli cui militat ordo,
Submittitq́; ſuum Sol famulare iubar.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM

EVCHARISTICON PARTHENIVM.

VIVIMVS, *ô Superi; bona dicite verba Sodales,*
Et date Parthenijs maſcula tura focis.
Viuimus, & facili Septembris veſcimur aurâ,
Vt mihi maturas explicet annus opes.
O blandæ luces, ô tela beata diei,
O penè ex oculis Solis adempte nitor;

Nocturna

Nocturna ô flamma mundi decora alta ſilentis,
O cælum, ô grauido prodiga terra ſinu;
O quidquid gremio circumfluus halitus ambit,
Et leuis vndoſo circinat orbe Thetis;
O tecta, ô ſancti domus intemerata Pudoris,
O templa aſſiduâ ſollicitata prece;
Vos iterùm aſpiciunt mortis damnata tenebris
Lumina, perpetuo penè ſepulta ſitu?
Saluete ô reducis ſolatia dulcia vitæ,
Saluete ô vitæ pignora vera meæ.
Vos iterùm amplector, præcordia cara, ſodales,
Et datur aſpectu colloquioq; frui?
O quoties, oculos premeret dum Parca natantes,
Heu nimis in funus ambitioſa meum,
Numquam vos poſthac, dixi, mea lumina, amici,
Alloquar, extremam flebilis ante diem?
Vos ego iam moriens, primóque reprenſus in æuo
Eminus, ah, cogor quærere, mente ſequi?
Roma meas quas claudis opes, quos claudis amores?
Nec potes exuuias claudere Roma meas.
I ſaltem noſtro exoriens in funere votum,
Et mihi tam caros, Poſtume, pande ſinus.
Ille abijt, dices, veſtri memor, ô memor illum
Veſtra vehat precibus ſidera ad alta fides.

Vltima ſi præcox inuidit gaudia fatum,
Vos tamen in medio ſculpſerat ille ſinu.
Ite vbi ferali clauduntur corpora ſaxo,
Depoſitumq; recens ditior vrna fouet.
Cor iacet, in medio ſpirabilis ardet imago;
Vobiſcum hanc auido, credite, corde bibit.
Veſtra eſt, ni meritis inimica modeſtia lumen
Obdat, in hoc ſeſe quiſq; colore leget.
Hæc olim, dum fata meis inimica querelis
Vrgerent, Parcâ præcipitante, diem.
Vos tamen amplector lacrymis adſperſus Amoris,
Et noua nunc rurſus tempora natus ago.
Febris Oronteâ nec Pæonis arte receſsit,
Mortali eſt maior tabida peſtis ope.
Dicite io Socij, pronis nam labilis aſtris
Iuſſa Salus medicas attulit ipſa manus.
Phœbe quaterdenos curru reuolutus in ortus
Expuleras roſeis aſtra minora genis,
Ex quo concuſſas ſenſim depaſta medullas
Flamma, peregrino ſparſerat ora ſitu.
Non ſecùs Autumni lacerans in funere frondes
Inficit excuſſas populus alba comas.
Nox oculis quoties ſegnem nictantibus orbem
Cerneret, & tacitos duceret vmbra choros,
Mille

Mille trucem toties agitabant ſpectra quietem,
Fingebátque breuis ſomnia mille ſopor.
Quæ modò candebant rapido labefacta calore
Viſcera, concepto diriguere gelu.
Sæpè ſalutantum media inter verba iacebam,
Plenus morte ſinum, lumina, labra, genas.
Irrita quid vitæ facerent alimenta labanti?
Inuita horrebat iuſſa alimenta fames.
Quid memorem egeſti metuenda fluenta cruoris,
Mixta quibus toties neſcia vita fugit?
Tu tamen ante alios diſcerpens viſcera morſu,
Bella moues vtero ſanguinolenta, dolor.
Tu gelidos ſudore artus, præcordia flammis,
Rore oculos, vitam morte tyrannus alis.
Excoquor immiti furiarum agitabilis æſtu,
Et foueo immanes Aetna ſecunda faces.
Non ſic Alcides dotali arſiſſe veneno
Fertur, ab Oetæo raptus in aſtra rogo;
Non ſic fatali Meleagrum Althæa cremauit
Stipite, digna ſoror, ſed minùs apta parens.
Sæpè vale, dixi, Sol aureè; iam dolor extra
Corda animam ſtimulis imperioſus agit.
Mitiùs in pœnam ſemper reparabile vultur
Dilacerat Tityi, monſtra gemenda, iecur.

Mitiùs Actæon, viſa vindicta Dianæ,
Membra dedit canibus dilanianda ſuis.
Mitiùs Abſyrtus violentæ præda ſororis,
Multiplici patrios funere ſparſit agros.
Mitiùs indomitis euantem ſenſit Agauen
Pentheus in propriam pallidus ire necem.
Quid moror? in tenues paulatim euanida ventos
Ibat, inextincto vita cremata rogo.
Iamq; ex igne cinis morienti obduxerat ora,
Parca recidendas ſtrinxerat atra comas.
Tu luctantem animam monitis ſolatus amicis,
Pectoris, Antoni, vulnera cæca foues;
O ſanctum caput hoc ſeris Deus aſſerat aſtris,
Et trahat ô felix ſtamina longa colus.
Difficiles, tu care, obitus, tractúmque doloris
Aſſiduâ mulces fratris amantis ope.
Ecce autem (ô iterùm bona dicite verba ſodales,
Et date Partheniis maſcula tura focis,
Irrita nec tacitis ſuſpendite vota libellis,
Sidera ſed pleno ſollicitate ſono)
Ecce autem ingrediens purâ cum veſte ſacerdos
Integrat occiduum, Matre volente, diem.
Zona fuit magnæ geſtamen Matris, ad vndas
Cùm fugit, ô numquam cognite Nile, tuas;

Dura

Dura Palæſtini metuens cùm ſceptra tyranni,
Semper & illotam ſanguinis vndâ animam,
Bethlemio plorantem antro ſub imagine Nati
Tranſtulit infantem læta per arua Deum.
Colla per inſerpit Matris; tractu inde fluente
Explicat obliquum Zona miniſtra ſinum.
Hac onus inuehitur pretioſum. ito orbita cæli,
Qua regis errantis annua Solis iter:
Maternâ exceptus Zonâ videt arua Siones
Sol melior, Memphis buſta operoſa videt:
Nec terit Herculeis ſudata laboribus aſtra;
Aut quæ flagitij præmia in axe micant.
Monſtra triumphatæ ſcelus immortale Nouercæ,
Impuráque Iouis ſidera fixa manu,
Ite procul, pretioſa odia, ſpecioſa pericla;
Aeterna æternis ô monumenta probris.
Iunonem in monſtris domuit Priuignus; at illa
Monſtra dedit ſtellis, vt ſibi monſtra daret.
Scilicet Alcidis deſcripſit ſidere facta,
Quæ legat in cæli ſculpta adamante Nepos.
Neſcia Priuigno, tacitis clamantibus aſtris,
Quis credat? Iuno ſedula fama fuit.
Aſtra nitent victæ inficianda trophæa Nouercæ,
Quæſitumq; gemit dedecus ipſa ſuum.

Quòd ſi ſtellarum ſcintillat amoribus aurum,
Juppiter inceſtas traxit in aſtra faces:
Hinc mare per frendens Arctos regit altera Graias,
Altera Sidonias, vtraque ſicca, rates.
Hinc Cignus gemit, hinc Superos exterret Orion;
Hinc Aquila immani remige celſa volat.
Europam hinc tergo pauitantẽ, & multa gementem
Vt raperet, Tyrias Taurus arauit aquas.
Tot cælum monſtris onerare haud profuit; ipſi,
Famæ ſi qua fides, monſtra fuere Dei.
Ite procul, pretioſa odia, ſpecioſa pericla,
Aeterna æternis ô monumenta probris.
Virginis in ſigno zonâ obliquante, Canopum
Sol meus, & Meroës lumine luſtrat agros.
Huius in aduentu numen confeſſus Oſiris
Corruit, & iacuit labilis Iſis humi.
Zonæ & in aduentu fugitiua reuertit in artus
Vita, redorditur ſtamina fracta colus.
O noctem auratâ meliorem luce, Parentis
Cùm Magnæ imperio reddita vita mihi eſt!
Protinus exangues rabiem poſuere dolores,
Quæſiuit facilis iuſſa alimenta fames.
Qui fibras torret lentas deferbuit æſtus,
Quoq; rigent, abijt, viſcera adacta, gelu.

Exul

Exul & emeritos rurſum permulſit ocellos,
Nec peperit dubius ſomnia vana ſopor.
Sancta Parens tibi cura fui; tu ſcilicet annos
Jam propè dilapſos in mea iura trahis.
O amor, ô pietas! terra audiat, audiat æther,
Et Sol ardentes ſiſtat in orbe rotas.
Has ego relliquias aui labentis ad aras
Suſpendo, ô vita prodiga Virgo, tuas.

MAFFEII BARBERINI
S. R. E. CARD. ET BONONIAE LEGATI
ODE.

SEPVLTVS *altâ criminis caligine,*
Sæuiſq; vinctus nexibus,
Non ſub latebris lapidis alter Lazarus
Claudor, ſed hac circumferor
Defunctus infauſtâ ſub vrnâ corporis.
Iam lingua nullos ederet
Sonos, carerent aridi motu pedes,
Triſtéſque pallerent genæ;
Humi iacerem, nec viderent lumina
Nitentis aëris iubar;

Sed

Sed ne caducum vita corpus deſerat,
Vicem perempti ſpiritus
CHRISTI *benigna ſupplet indulgentia,*
Lutóque reddit illito
Oculis ſuam lucem. Quid ah, quid intuor
Miſer? tenent me compedes,
Laterúmque verſant ſordidum manus opus;
Et quæ fouet me blandiens
Placido ſinu voluptas, vera Dalida,
Stringit minacem forcipem.
Formidoloſis in cauernis ſaltuum
Cubile tellus exhibet,
Solumq́; glandes ſe mihi dant pabulum;
Famis voratus dentibus
Perire cogor inter immundas ſues.
Supplex reuertar ad Patrem:
Culpam fatebor; & profuſis lacrymis,
Vt cæcus ille vitreis
Siloës aquis ſe diluit, cor diluam,
Quod noxa fœdat ſordibus.
Sed heu catena nexibus mihi pedes
Arctans abire me vetat.
Hæc dira vincla tu Deus clementia
Solus potes diſſoluere,

Meamq́;

Digitized by Google

Meamq́ſ ſolus tu potis es Aegyptio
Leuare ceruicem iugo.
Non ego tibi Moſen, tuam ſed gratiam
Ducem regreſſus flagito.
Huius per atras noctis vmbras luceat
Ignis, viamq́ſ dirigat,
Tutamq́ſ plantis virga pandat orbitam
Rubri per vndas aquoris;
Et inſequentium cohortes hoſtium,
Equos, & axes obruat;
Sic ipſe liberum metu ſequens iter,
Vtinam ſerenum conſpicer
Parentis aſpectum; ad pedes nam procidam,
Gemenſq́ſ coràm proloquar:
Reuertor ad te pœnitens, per inuias
Abduxit errantem vias
Me culpa: peccaui talentis traditis
Abuſus, ad te pœnitens
Reuertor: ah te, qui tui ſunt muneris,
Hic fletus, hic meus dolor,
Placent: & ô benigne da Pater, mihi
Tuas vt ædes incolam;
Tibiq́ſ vinctus charitatis annulo
Non ampliùs te deſeram:

Hoc vna quæ colore ſplendet cæruło
Præſtare veſtis eſt potis;
Hanc nullus vſus, nulla deterit dies,
Fur nullus aufert hanc mihi.
Si largiare, corde dicam geſtiens:
Coruſca ſordet purpura.

AVGVSTINI MASCARDI

AD ODAM RESPONSIO.

CORVSCA *ſordet purpura, & meritis pares,*
MAFFEIE, *non vibrat faces,*
Dum clarius virtutis effulget iubar,
Et purpuraſcit pulchrius
Mentis ſerena lumen, afflatu Dei;
Et dum caducis gemmulis
Opulentat ora riuus ex oculis grauis,
Animi rigeſcit ditiùs
Chlamys, renidens rore gemmato ſatis,
Nec barbarorum textiles
Cupit labores diues, aut Phrygias manus.
O te beatam, cui toga

Iubar

Digitized by Google

Iubar Latinæ lumine augeſcit ſacro,
Quod ſolis è ſancti rotâ
Cupidus, volucris regiæ exemplum ſequens,
Oculis quietis ebibis,
Et in receſſu cordis arcano locas
Vitalis auram luminis.
Ergo quid vrnâ corporis clauſum putes
Animæ cadauer frigidæ?
Perire virtus neſcit; & cuius ſinum
Fax Numinis vitâ replet,
Non vulnerabit mortis inimicæ furor,
Nec obſoleſcet tempore.
Quò quiſq; mortem pauidus exhorret magis,
Morti pauendus eſt magis.
Animam ſepultam corporis tumulo quidem
Non abnuo, PRINCEPS, *tuam:*
Verùm vt ſepultos terra theſauros premit,
Cuſtos auara, ſed vigil;
Manibuſq; tactum, lumini aſpectum negat,
Menti recludit at ſinum;
Sic circinatus corporis breui ambitu
Spiritus in alto delitet,
Virtute corpus animat effigiem ſui,
Lucem peroſus impiam.

O ſi liceret ſpiritus ſpeciem tui,
Et mentis æthereum decus
Spectare, PRINCEPS, *raperet inuitos quoq;*
Vis intuentes aureæ
Animæ latentis, indoles, ſpecies, lepor,
Honor, venuſtas, dignitas:
Nam pollicetur blanda maieſtas foris,
Quod ima claudunt pectora;
Celſumq; corpus ſæpè ſimulacrum eſt probum
Excelſioris ingenî:
Et quod canoram verberans plectro chelym,
Quod purpura præſtas face,
Præſtaret hoc, MAFFEIE, *numeroſum decus*
Et Numen auguſtum tuæ
Mentis, ſepulcro corporis quam tu obrutam
Reris, ſituq; ſqualidam;
Cui comparata lumen imperij ſacri
Coruſca ſordet purpura.

DE

DE ALOYSIO ALBRICIO PLACENTINO SOCIETATIS IESV, CONCIONATORE PRÆSTANTISSIMO.

VOX *tonitru, vita eſt fulgur; dum*
viuit, & orat,
Cerno iubar, tonitru mens tremefacta labat.
Mox etiam vultum lacrymarum proluit imber,
Sic noua tempeſtas corda proterua quatit.
Hanc ciet eloquio increpitans ALOYSIVS *oris:*
Scilicet hoc etiam lingua diſerta poteſt?
Tempeſtatem animi verbis ſed temperat idem,
Et iubet in portu leniter ire ratem.
Neſcio quid cupiam; tempeſtas excita pectus
Commouet, at portus mollior vnda fouet.
Vtraq; tempeſtas portum docet, illa repoſtum
Quærere, tranquillos hæc retinere ſinus.
Perge anime, & quodcumq; libet complectere: portum,
Sæuiat vnda, petis; rideat aura, tenes.

Digitized by Google

METANOEA.

RVPIS antra Muſa prome, rupis antra ſqualida,
Sed profuſis MAGDALENÆ iam beata lacrymis;
MAGDALENA ſiluicultrix imbre malas irrigat:
Silua denſo tuta crine tela ſolis negligit,
Regna noctis vmbra cæco continet ſilentio,
Nec volantum dulce lucos carmen vmquam perſonat.
Si trementes excitarit ore ventus aſpero
Arbores, & murmurantes concitarit ramulos,
Tunc gementis, tunc frementis murmur auras increpat.
Terra liuet, aura torpet clauſa ſilua carcere;
Flexuoſus inter vmbras nullus amnis labitur,
Nullus inter ſaxa præceps lenè riuus perſtrepit,
Nulla fontium canora vena ſiluis emicat.
Sæuientis ira ponti ſaxa fluctu vulnerat;
Tela cautibus retuſa marmoris remugiunt;
Spuma canet, æquor albet vi furoris pallidum;
Aeſtuoſa pandit ora vorticis profunditas,

Et

Digitized by Google

Et reſorbet, & retorquet ſalſa ponti murmura.
Nunc ſonanti comminantur bella venti turbine,
Claſsicoq; mugientes iura ponti prælio
Quiſque poſcit, & Tyrannus ardet eſſe marmoris:
Turbinatum torquet æquor hinc proteruus Africus,
Atq; pontum emollientes crudus iras aggerat;
Hinc Trionum fœda proles, quâ rigeſcunt æquora
Ac perenni Tethys arctè colligatur frigore,
Regna poſcit, efferato cuncta voluens impete.
Vnda ſæuis acta ventis turgida aſtris imminet,
Miſcet aër, miſcet æquor fluctuum diſcordiam;
Aſt vterque fluctus antra MAGDALENÆ *concutit.*
Rupis antra Muſa prome, rupis antra ſqualida,
Sed profuſis MAGDALENÆ *iam beata lacrymis.*
Silua cingit, vmbra veſtit, horror ingens contegit
Antra, ponti ſæpè fœdis quæ procellis vapulant;
Hîc Tonantis acta tedis MAGDALENA, *lacrymas*
Fundit vuidis ocellis, cor amore ſaucia,
Nuda plantas, nuda ſuras, nuda pectus lacteum;
Crine tantùm amicta fuſo, qui tremente depluit
Imbre, per niues calentes, colla perq; eburnea,
Queis monile plectit aureum, quod ſine arte fulgurat,
Inde tractu diffluente membra inaurat cetera.
Palla puro ſplendet auro, texta palla crinibus,
Atque

Atque talos ima mordet educata vertice.
Ito muricis beato lana diues ſanguine,
Ito purpuris renidens, dura gemmis Indicis,
Dædaleâ picta dextrâ docto in Ida culmine;
Inuoluta fulget auro MAGDALENA *verticis,*
Exteraſq; non requirit nuda merces veſtium;
Palla crinis, gemma crinis, crinis & diſcriminat.
Sic Apollo dum marina deſerit cubilia,
Tethyoſq; ſtrata linquit regna turbans ſiderum,
Mutuatâ non renidet luce Princeps luminum,
Proprio ſed inuolutus auro diues emicat;
Fulgurante diues auro crinis, vmbras vulnerat.
Antra complet lacrymoſis MAGDALENA *queſtibus,*
In labantes ſæuit artus dura vindex criminum,
Ferreoq; ſe laceſsit crebra vindex verbere:
Inde ſaxis incubantes ſternit artus aſperis;
Purpuraſcunt ſaxa fuſo MAGDALENÆ *ſanguine,*
Et doloris icta telo ſponte fracta decidunt.
Illa cautibus vel ipſis facta contumacior,
Membra ferreis catenis peruicax interrogat:
MAGDALENÆ *fortè cautes induerunt indolem,*
MAGDALENA *fortè corde ſæua cautes induit;*
MAGDALENA *corde cautes, nil moramur, induit.*
Inde flamma abſtruſa ferri quærit ictu ſemina,
Inde

Inde ſanguis in camino pænè cordis igneus
(Vis amoris, vis doloris dat faces incendio)
Diffluentes per capillos blandè oberrat innocens,
Perq́; eburna fons cruoris lenè ſerpit corpora,
Atq; fractos purpurâ artus MAGDALENÆ *contegit,*
Pingit & crinale crebris purus aurum gemmulis:
Gemma ſanguis, crinis aurum, ſertum vtrumq; gemmeum.
Quid comantis tela frontis, tela frontis aurea,
Et flagranti iactat oſtro fulgurantem verticem,
Qua roſeta rorulenta luce pandit prauiâ,
Atq; Phœbo florulentum ſternit auro tramitem?
MAGDALENA *ditiori purpuraſcit murice,*
MAGDALENA *pulcriori fulget auro verticis;*
Et caducis dum liqueſcit tacta Sole lacrymis,
Horridaq́; mœror ingens nube fontem contrahit,
Inter imbres, inter vmbras, ridet Iris diſcolor,
Et quietas pollicetur ore luces æquori
Concitato cordis, Euri iam cadente murmure.
Sic rubente picta rore prodit, auro nobilis,
Antra linquit inquieti ſola fletus conſcia,
Littorales peruagatur acta flammis ſemitas;
Et ferocis ora Ponti ſæpè triſtis intuens,
Hæc ad aſtra verba fundit: aſtra ſtant, & audiunt:

Bb *O pro-*

Digitized by Google

O procellis intumeſcens æquor, Auſtris ſubditum,
Quod tyrannus efferauit & rotauit ſpiritus,
Vt doloris ſigna noſtri, mortis vt veſtigia
In tuorum ſcripta cerno fluctuum certamine!
Cymba falſum amoris æquor iam vadaui credula,
Et libidinum per vndas cæca fregi remigem.
Hinc voluptas, hinc iuuentus, hinc amantum gratia,
Virginale mentiuntur ore carmen lubrico,
Et ſoporant imperitam voce mentem perfidâ.
Mens vocato victa ſomno frena cymbæ deſerit,
Et Cupidini relinquit ſtulta clauum perdito:
Ille cæcus frangit æquor, quà furit minaciùs,
Nec pigratur in voraces ire fauces marmoris.
Somnioſa fluctuantem tum per vndas cymbulam
Non videbam, ſed ſepulta ſub ſoporis pondere,
Ad ſororem ſponte ſomni nauigabam pallidam;
Sic vtrumq; clauſa lumen, mortis ibam in brachia.
Iam pudoris, quem vehebat cymba mecum, ſarcinam
(Sed beatius lapillis pondus, auro ditius)
Iecit æquori vorandam, diruendam fluctibus,
Puppis arbiter Cupido, quò leuaret pondere
Haurientem, dum fatiſcit, fata per compagines
Nauem, iniquâ funeratam turbinum diſcordiâ.

Alleuata

Alleuata puppis errat flaminum ludibrium,
Nunc in auras, nunc in vmbras impotens impellitur,
Nunc in orbem conuoluta cernit vndas Tartari;
Donec aſtris qui colorat templa cæli flammea,
Quiq́ floribus quotannis terram ocellat Dædalam,
Quiq́ pulueris lupatis ora frangit marmoris,
Strauit vndas contumaci mugientes impetu,
Littus extulit pudoris purpuratum floribus,
Igne cæcas explicauit cordis vmbras aureo.
Pura ſalue lux amoris, nauis aſtrum prauium,
Quæ coruſco fulguraſti viua CHRISTI *è lumine:*
Tu receſſus cordis atros expiaſti ſidere,
Tu rigentes igne fibras & ligatas frigore
Eliquaſti, quò per ora ſalſus iret riuulus.
Fluxit vnda, ſed liqueſcens cor ſub vndis decidit,
Crimen abluens pudendum fonte, plantas irrigans.
Hæc vt altis ingemiſcens extulit ſuſpirijs,
Torua ſiluam, torua rupem contuens ſe verberat,
Vnguibúſque fœdat ora, pectus vngue vulnerat;
Mox catenis inſoleſcens dura plagas integrat.
O beatam, ſanitatem cui dederunt vulnera,
Mœror eſcam, fletus vndam, ſtrata cautes aſpera!
Tu quid incubas ſceleſtis peruicax opprobrijs?

Bb 2 *Quid*

Quid voluptuoſa Mortis quæris excors otia?
Vita pœnis exigenda, conterenda fletibus,
Inquinata quæ profanis obſoleuit ſordibus.

IEPHTE FILIA PER PROSOPOPOEIAM VIRGINITATEM SVAM IN SILVIS DEPLORAT.

Fragmentum.

VMBRÆ, *pallentes vmbræ, ſiluæq́ue ſilentes,*
Et iuga frondoſis penè ſepulta comis,
Accipite has lacrymas, miſeræ & ſuprema dolentis
Munera, vicinæ munera danda neci.
Audite has ſurdæ plantæ, ſurda antra, querelas,
Saxáque funereis ſollicitanda modis.
Audite hos gemitus per opaca ſilentia montis
Monſtra, & remigium pendula libret auis.
Audite immeritæ præludia triſtia mortis,
Viſcera dum lacerat prauius ima dolor.

Et

Digitized by Google

Et licet immites, tamen, ah! miſereſcite cautes,
Augeat & lacrymas labilis vnda meas.
Veſtra etiam ſociate meis ſuſpiria frondes,
Diſcat inhumanos flebilis aura ſonos.
Infelix virgo, nulliq; obnoxia culpæ,
Expecto patrias in mea fata manus.
Infelix Virgo prauerto funere funus,
Exequiaſq; meas mortua viua gemo.
Ergo cadam patris icta manu? ſed patris amantis
Icta manu, heu lacrymæ! victima cæſa cadam:
Florida dumq; genas mihi flore iuuenta colorat,
Horrida funereis mors linet ora notis?
Mors quid agis? tua regna pete, atq; aliena relinque,
Sæua quid inuadis ſceptra negata manus?
Oris honos teneri, glomeratum verticis aurum,
Lux oculi, malæ purpura, frontis ebur,
Aetatis ſunt regna noua; hæc vexilla iuuentus
Explicat, imperij ſigna decora ſui.
In medio ſedet illa ſinu, ardentiq; cruoris
Fonte calens, imo in corde proterua ſalit;
At tu ſigna locas ſulcatis lurida malis,
Argentoq; caput impediente tumes.
Lumina ſanguineo iam deficientia tabo,
Lumina ſunt mortis apta cupidinibus.

Te liuor comitatur iners, anniq́ labantes,
Et tremulo in baculum prona ſenecta gradu.
Ergo quid in noſtràs baccharis inhoſpita ſedes,
Quid iuueni intentans fata pauenda tonas?
Effuge quà laſſos contundit anhelitus artus,
Luctaturq́ fugax frangere vincla animus.
Effuge vbi exangues, & membra caduca trahentes,
Mortem imperfectam, ſed ſine morte fouent;
Aut vbi te votis miſerorum turba fatigat,
Quæ vita à morte ſpem melioris alit.
Quòd ſi auidas inhias perfundere ſanguine fauces,
(Scilicet hoc geſtit nectare ſæua ſitis)
Ah fuge terribiles vbi Mars excandet in iras,
Semper & immanis ſuſcitat arma furor.
Quot gladio ferit ille ſuo, tot ſanguinis vndas
Elicit, & tepido ſubluit arua lacu.
Sanguinis alter amans moritur, caſúque ſequaci
Sternit vbi flumen ſanguinis, ipſe natat:
Vulnere marmoreus, ſtatuæq́ ſimillimus alter,
Sanguinis in gelido pectore fontem aperit.
Hîc bibe: conueniunt mortis ſitis, & vada Martis;
Alter ab alterius nomine nomen habet.
Tu tamen ante oculos agitas mors improba falcem,
Supremámque quatis ſanguinolenta facem.

Virgi-

Virgineum properos deſignas pectus ad ictus,
Et pubeſcentem demetis vngue roſam.
Heu mihi! iam facies afflatu pallet iniquo,
Plurimáque in vultu iam Libitina ſedet.

* * * * * * *
* * * * * *

MARIVS BETTINVS E SOC. IESV AD AVGVST. MASCARDVM.

NVTRIET *æternas circùm tua tempora lauros,*
Quæ tibi Pierio defluit vnda iugo:
Vnda vel immites demulcens murmure cautes,
Phœbeam placido dum vehit amne lyram.
Quæ modò naſcenti ludit Mæandrina riuo,
Grandior æratas ducet in arma rates.

AVGVSTINI MASCARDI RESPONSIO.

SI *me fatidicam, portenta loquacia, nauem*
Vellet Caſtalio Cynthius ore loqui;
Grandior æquoreis hauriret carmen ab vndis
Muſa, ratis ſacro docta futura ſono.
Verùm Argo æthereos ſtellata per æquora fluctus
Imbuit, aſtrifera debita pompa lyræ.

Noſtra

Digitized by Google

Noſtra ergo exoriens lacrymato exundet ab imbre
Vena, vehens animæ ſalſa per arua ratem.
Virgo iubar, cæli Zephyros dabit aura ſecundos,
Et portum in CHRISTI *pectore pandet amor.*

RELICTIS MVSARVM STVDIIS THEOLOGIAM VOVET.

ABSCEDE *Clio: iam Sapientia*
Seueriori flammea cyclade
Caſtigat aures, & morantem
Sancto animum ſtimulo fatigat.
Non cui repexi crinis inambulat
Vndas vagantes Daphnis, & oſculis
Adulat aurum flexuoſis
Menti equitet Patareus Apollo.
Non quæ magiſtrâ ſollicitant ebur
Manu ſorores, ſpicula dirigant
Facunda cordi; calcat arcum
Cor numeris fidium imperantem:
Non vena puro labilis alueo
Aſſueta Pindi gemmea culmina
Lactare, perfundat iocoſo
Fonte, meas inamœna fauces.

Digitized by Google

Satis Juuenta Cynthius arbiter
Verſauit annos imperio, ſatis
Aetatis agnato ſubegit
Enthea vis animum calore:
Satis canoris ebria nanijs
Effeminatos imbibit impetus
Mens, fabuloſis implicata
Pieridum laqueis canentum:
Satis doloſi naufragium bibi
Perenne fontis, luſtraq́ flumine
Jam quinq́ lamentor loquaci
Obruta, delicias Juuentæ.
O vita mendax, irremeabili
Deluſa lapſu temporis, impigro
Decepta fatorum rotatu,
Præda breuis, breuis hoſpes æui!
Sic ſic ſopore vincta adamantino,
Excors Camœnis, proh ſcelus! incubas?
Nec prona cæli prouocantes
In patriam meditaris arces?
Dum criſpiſulcis increpat ignibus
Cognata cælo templa Dieſpiter,
Solus tonabit? fulminanti
Ipſe ſibi Deus, & theatrum?

Diſcriminatus Jride tempora,
Origo lucis luce ſuperbior,
Nube inuolutus purpurante
Solus aget radijs ſepultus?
Solum triformi, pectora, lumine
Vnum irrigabit lumen, Amantium?
Verbúmque manabit beatum
Ingenij ſoboles paterni?
Qui corda flammis Spiritus imbuit
Alterna Numen viſcera vulnerans,
Et Patris & Nati viciſsim
Perpetuum regerens amorem,
Solus duello ludet amabili?
Aßurge tandem, pectora ſoſpitet,
Fingátque mentem Numen; aude,
Sidereos penetra receſſus.
Aßurgo, ſanctum mutor in alitem:
Tu Virgo cæcum ſi expedias iter,
Regáſque per nubes volatum,
Plectra, lyra, cithara, valete.

CEN-

CENSVRA.

POEMATA hæc *Auguſtini Maſcardi*, continentia *Siluarum libros quattuor*, vario cùm metri tum argumentorum genere adornatos, vti à lepôre & elegantiâ commendantur, ita etiam digna ſunt quæ typis concepta ad poſteros tranſmittantur. Datum Antuerp. in Seminario Epiſcopali, die x. Octob. Anni M. DC. XXI.

LAVRENTIVS BEYERLINCK
Canon. & Archipresb. Eccl. Cath. Antuerp. librorumq; Cenſor.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum Rex Catholicus, &c. Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit; nequis *Auguſtini Maſcardi Siluarum Libros quattuor*, præter Balthaſaris Moreti Typographi Antuerpienſis voluntatem, intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XII. Ianuarij, M. DC. XXII.

Signat.

De VVitte.

Digitized by Google

ANTVERPIÆ

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXII.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google